DE

ENUNTIATORUM CONDICIONALIUM

APUD

ANTIPHONTEM ANDOCIDEM LYSIAM

FORMIS ET USU.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

ARTHURUS GENTSCH.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCXC.

RELIQUA HUIUS DISSERTATIONIS PARS PROPEDIEM EDETUR.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

DE

ENUNTIATORUM CONDICIONALIUM

APUD

ANTIPHONTEM ANDOCIDEM LYSIAM

FORMIS ET USU

SCRIPSIT

ARTHURUS GENTSCH

Enuntiata condicionalia, etsi propter uarietatem magnam partem syntaxis graecae complectuntur, tamen usque ad nouissimum tempus neglecta iacebant, non quin grammatici inter singulas eorum formas — atque sunt paene innumerabiles — subtiliter arguteque distinxissent, sed copiam enuntiatorum condicionalium magis contemplantes tamquam perfecta re absolutaque minus curabant, quomodo quasi pedetemptim perueniretur eo, ut ex liberis enuntiationibus protasis ex eaque suspensa apodosis efficeretur. Qui primus id cognouerit, summa laus tribuenda est Ludouico Lange, quod libro, quem inscripsit: 'Der homerische Gebrauch der Partikel εἰ' exemplis particulae εἰ Homericis, quae in optatiuo modo collocata occurrunt, accuratissime perlustratis probabiliter docuit, primo illis optatiuam uim adhaesisse, quae uero sensim transiret in condicionalem i. e. eam, ubi enuntiatio particula εἰ formata iam non libera est sibique ipsa sufficit, sed quasi subuenire iubet aliam enuntiationem, quae pendet quidem ab illa, ita tamen, ut altera pars periodi hypotheticae sine altera ualere nequeat. Neque uero hac solum re Langius nouae sententiae auctorem se praestitit, sed ostendit non minus diligenter, Iliadem et Odysseam aliquantum differre usu enuntiatorum condicionalium, ut illam prioris hanc posterioris aetatis esse constat. Non minima eadem fuit causa, cur animum intenderem ad quaerendum, an postea, cum enuntiatum uocula εἰ formatum et suspensum ex eo in unam periodi condicionalis compagem coaluerint, discrimina usus dicendi singulorum scriptorum statui possint et qualia sint; et quoniam poëtarum huiusmodi usum dicendi aliquantum iam ad liquidum exploratum esse uidi ab Alberto Winter ('de modorum in enunciatis conditionalibus apud tragicos Graecos usu' Uratisl. 1865), nuper a Ferdinando Petri ('de enuntiatorum condicionalium apud Aristophanem formis et usu' Halis 1887), quas formas pedestris sermonis scriptores adhibuissent, peruestigandi studio captus constitui in eo, quod sequitur, opusculo conspectum dare quam accuratissimum totius copiae enuntiatorum particula condicionali formatorum, quae quidem exstent apud Lysiam, summum

sane locum inter superiores decadis oratores Atticos obtinentem, simulque eum comparare cum antecedentibus Andocide et Antiphonte. Propositum ipsum aggressurus rem ita instituam, ut primum de simplicibus, deinde de compositis, tum de imperfectis sententiis hypotheticis agam.

Caput I.

Enuntiata, quae particula *εἰ* cum indicatiuo iuncta formantur.

Simplicissimae sunt huius modi enuntiationes, quia is, qui sumit aliquid esse ea condicione, ut aliud sit, statuit tantum rem ita se habere, minime ipsa propositi forma significans, utrum res, quae ponitur, uere fiat an cogitetur an a ueritate abhorreat; uidemus uim indicatiui in periodo hypothetica collocati ab ea, qua praeditus est in oratione libera, ubi indicatiuo ueritas rei significatur, discrepare. Inde uero, quod loquens non exprimit, quid sentiat, non sequitur eum ignorare, utrum actio protasis re uera fiat necne; haud raro accidit, ut fingat quidem aliquid esse non nescius, rem, quam pro uera ponit, non fieri aut non posse fieri; item saepe euenit, ut is, qui loquitur, protasin cum statu rerum consentire cognitum habens tamen sumat tantum illam esse.

§. 1. *εἰ* cum indicatiuo praesentis.

Afferam primum exempla, quorum protasi mera uis condicionalis inest; sumitur protasi aliquid fieri, quod re uera accidere minime opus est; orator incertum relinquens, utrum actionem protasis ad effectum perduci credat necne, proponit ideo condicionem, ut inde certum quid colligat.

Exempla Lysiaca:

1) Apodosis tempore ac modo cum protasi consentit: XXVII 13: ʽ*ἐγὼ δ' οὕτως ἀξιῶ γενέσθαι· εἰ μὲν ἀδικεῖν τούτους μηδὲν νομίζουσιν, ἀποδείξαντας ὡς ψευδῆ τὰ κατηγορημένα, οὕτως πείθειν ὑμᾶς ἀποψηφίσασθαι* sc. *ἀξιῶ*·ʼ Quid sentiant amici reorum, quos pro illis deprecaturos esse opinatur, orator diiudicare non potest neque in animo habet; ponit simpliciter, amicos reos pro insontibus habere; tum quidem illos falsa esse crimina demonstrantes iudicibus persuadere, ut absoluant, oportere arbitratur. Indicatiuus protasis, si idem, quod liberae sententiae indicatiuus, ualeret, orator addere non posset ʽ*εἰ δὲ νομίσαντες ἀδικεῖν αἰτή-*

σονται' etc., nam alteram tantum rerum sumptarum ueram esse patet aut reos amicis insontes aut sontes uideri. — XIII 75. XXII 1. XXV 2. XXX 21. Affirmari omnino nequit, ubi subiectum protasis indefinitum est, ut XVI 18: '*καίτοι χρὴ τοὺς φιλοτίμως καὶ κοσμίως πολιτευομένους ἐκ τῶν τοιούτων σκοπεῖν, ἀλλ' οὐκ εἴ τις κομᾷ, διὰ τοῦτο μισεῖν·*' Plures huiusmodi loci occurrunt in orationibus spuriis:[1]) XIV 39. XV 9. XX 20. 21.

Prioris generis unum exemplum repperi in orationibus hisce, VI 41: '*οὐ γὰρ τοῦτο λύειν ἐστὶ τὰ συγκείμενα, εἰ Ἀνδοκίδης ἕνεκα τῶν ἰδίων ἁμαρτημάτων δίδωσι δίκην...*'. Utrum re uera Andocides puniatur necne, orator adhuc ignorat.

2) Apodosis temporis futuri est: XXV 18: '*εἰ δὲ οἴεσθε χρῆναι, οὓς ἐκεῖνοι παρέλιπον ἀδικοῦντες, ὑμεῖς ἀπολέσαι, οὐδεὶς τῶν πολιτῶν ὑπολειφθήσεται.*' Orator dicere uult: 'si putatis eos, quibus trigintauiri pepercerunt, a uobis iniuste occidendos esse — id quidem a uobis fieri non uerisimile duco, posse fieri negare nequeo — tum quidem nullus ciuium relinquetur.' XVII 7. XVI 18 (uide supra) similis est XXXI 2. — (IX 12): '*εἰ δ' ἔξεστι μὲν αὐτοῖς ἀφεῖναι, διδόασι δὲ εὐθύνας ὑπὲρ ὧν ἂν διαχειρίζωσιν, εἴ τι ἠδικήκασι, τῆς προσηκούσης ῥᾳδίως δίκης τεύξονται.*'[2]) Utrique protasi id commune est, quod loquens fingit tantum, ut inde efficiat, minime respiciens, quid quaestoribus ex lege facere licuerit.

3) Apodosis temporis praeteriti est: Tempore praecedere uidetur apodosis protasin, quam ob rem iure quaesiuerit quis, quomodo actio, quae pendet ab alia accidente, prius quam illa fieri possit; sed uidetur tantum apodosis antecedere, re autem uera orator quasi retro concludit i. e. ex temporis praesentis facto aliquid antea actum esse conficit. Lys. XIII 75: '*εἰ δὲ ἀμφισβητεῖς καὶ*

1) II., VI., VIII., XI., XX. orationes a Lysia abiudicandas esse omnes fere consentiunt uiri docti; eodem referendas esse XIV. sequentemque nuper docuit probabiliter Fridericus Gustauus Nowack: 'De orationum, quae inter Lysiacas feruntur XIV. et XV. authentia' Lips. 1889, cui assentior p. 105 etiam or. IX. spuriam existimanti, minus uero, quod cum Scheibio or. XXXI. suppositam esse credit (p. 107) contra Frohbergerum, Fuhrium, Blassium alios. 2) Iure Gebauerus (p. 437 II. ed. Lys. Frohb.) hoc enuntiatum cum antecedente et respondente attribuit exemplis formae argumentandi, quae uocatur complexio, ubi particulam *εἰ* condicionalem uim nusquam amittere idem docet (de hyp. et par. arg. e contr. form. p. 365). Paulo supra autem cum Thalheimio (Herm. XIV 513 adn. cf. Stutzer. Herm. XVI 95) legendum puto: '*εἰ μὲν γὰρ μὴ κύριοι ἦσαν, ἐννόμως ζημιωθεὶς εὐλόγως ἂν ὤφειλον*', quia complexio ex contrariis sententiis composita esse debet.

φῆς Φρύνιχον ἀποκτεῖναι, δῆλον ὅτι μείζω τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων κακὰ ποιήσας τὴν ὑπὲρ Φρυνίχου αἰτίαν πρὸς τοὺς τριάκοντα ἀπελύσω.'

4) Apodosis optatiuo cum particula ἂν consociato formatur: XVI 17: 'ὥστ' εἴ τινες ὑμῶν ὀργίζονται τοῖς τὰ μὲν τῆς πόλεως ἀξιοῦσι πράττειν, ἐκ δὲ τῶν κινδύνων ἀποδιδράσκουσιν, οὐκ ἂν δικαίως περὶ ἐμοῦ τὴν γνώμην ταύτην ἔχοιεν.' Pro optatiuo cum ἂν iuncto indicatiuus apodosis integro uerborum sensu locum habere possit; tum orator statuit atque affirmat, iudices iniuste facere, si semet ipsum in eorum numero habeant, quibus, cum rem publicam quidem administrare suscipiant, a periculis autem se subducant, iudices irascantur; neque enim modo quae imperata essent, libentem se exsecutum esse, sed pericula quoque adire ausum. Hunc uero in modum se defendens tamque firme innocentiam suam profitens, iudicum sententias falsas, facile fieri poterat, ut procax petulansque iudicibus uideretur esse; ad quorum animos misericordia implendos multo plus ualebat modestia dicentis; efficitur autem modestior et cautior dictio optatiuo potentiali; patet sententiam ipsam mutata loquendi ratione minus quam quasi sonum, quo illa proponatur, leniri.

5) Apodosis formatur optatiuo solo, cui inest uis propria optatiua: XIX 38: 'νῦν τοίνυν εἰ δημεύσαιτε τὰ Τιμοθέου — ὃ μὴ γένοιτο, εἰ μή τι μέλλει μέγα ἀγαθὸν ἔσεσθαι τῇ πόλει — ἐλάττονα δὲ ἐξ αὐτῶν λάβοιτ' ...' etc.[1]) Protasis cum apodosi ita cohaeret: 'ne fiat publicatio bonorum Timothei, si declinare uultis magnum incommodum rei publicae inde instans'; facit orator, iudices tale quid declinare uelle — utrum re uera declinare uelint necne, incertum relinquit — atque tum a publicatione ut desistant, illos obsecrat.

1) Scripturae traditae 'ἀγαθὸν' praepono coniecturam Sauppii (Philol. XV 149) 'κακὸν' scribentis, eo uero sensu, ut parenthesim non cum Sauppio ita interpreter: 'fern sei eine solche Einziehung, wenn nicht ein schwerer Schaden die Stadt treffen, d. h. wenn sich nicht etwa Timotheos schwer gegen die Stadt vergehen sollte' — iure haec interpretatio offendebat I. Freiium (zu Lysias p. 26), quia in illis uerbis nihil inesset, unde per ipsum Timotheum rei publicae magnum malum accidere appareret — sed κακὸν cum Rauchensteinio referendum censeam ad magnum aliquod malum ex publicatione bonorum filii Cononis de patria optime meriti oriens; facile enim fieri poterat, ut inde publicationes bonorum iniustae et ex libidine factae augerentur, ut augerentur omnino iniuriae ciuibus ferendae, ut nouarum rerum cupiditas, discordia ciuilis etc. nascerentur.

6) Apodosis in imperatiuo collocata est: Facile cognoscitur, imperatiuum apodosis eo distingui ab indicatiuo, quo omnino differt indicatiuus ab imperatiuo; itaque cum in exemplis, quae hucusque tractaui, apodosi statueretur atque cuperetur aliquid, hic postulatur, ut, si quid fiat, aliud fiat. XIX 53: 'εἰ οὖν δοκοῦμεν εἰκότα λέγειν καὶ ἱκανὰ τεκμήρια παρέχεσθαι, ὦ ἄνδρες δικασταί, πάσῃ τέχνῃ καὶ μηχανῇ ἐλεήσατε . . .' Orator nescit, num iudicibus quoque argumenta uerisimilia atque idonea uideantur. Quaerentibus, cur in apodosi imperatiuus aoristi usurpatus sit, Godofredus Hermannus[1]) sic respondet: 'Praesens et aoristus in caeteris praeter indicatiuum modis eo maxime differunt, quod praesens rem diutius durantem uel saepius repetitam, aoristus rem breui absolutam aut semel factam indicat. Inepte dicas γράψον βίβλον, quia hoc longi temporis opus est; recte uero δὸς τὴν χεῖρα, quia hoc breui temporis momento fit.' A. Kruegerus[2]) ita censet: 'Der Imperativ . . des Aorists . . (ist) gewöhnlich zeit- und dauerlos, das blosse Eintreten der Handlung bezeichnend, während eben dieser Modus des Praesens ein Zuständliches ausdrückt.' Kuehnerus[3]) ita distinguit: 'Bei dem Imperativ des Aorist lässt der Redende die Handlung selbst in den Vordergrund treten, bei dem Imperativ des Praesens die Entwickelung derselben.' Non praetermittam, quod statuit Baeumleinius[4]): 'wenn die Forderung ausdrücklich als eine allgemeine, für die Dauer geltende, in einer längeren Zeit zu erfüllende ausgesprochen werden soll, wird das Praesens, wenn sie ausdrücklich auf einen speciellen Fall beschränkt werden soll, der Aorist des Imperativs gebraucht; wo diese Absicht nicht stattfindet, und ohne Rücksicht auf die Zeit, die eine Handlung erfüllt und erfüllen soll, nur der Begriff der Handlung anzugeben ist, kann das eine wie das andere Tempus gewählt werden.' Hoc ipsum in locos Lysiacos quadrare mihi uidetur. Consentaneum enim est, XIX 53 cardinem rei in eo uerti, ut misereat iudices, in actione igitur ipsa; per se enim patet, misericordiam iudicum a reo postulari non in uniuersum, sed ad hanc ipsam causam; disertis uerbis illud commemorare oratori minime opus erat; item (XX) 11: 'καίτοι εἴ τις βούλεται, ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ μαρτυρησάτω ὡς ἀναγκαῖον ὄντα Φρυνίχῳ' actio testandi respicitur, cum superuacaneum sit exprimere, id postulatum tunc ipsum, non omnino faciendum esse cf. XXXI 14. And. I 33.

1) ad Vigerum p. 747 (ed. IV). 2) gr. Sprachlehre §. 53, 6, 4. 3) gr. II p. 158. 4) 'Untersuchungen über die griechischen Modi und die Partikeln κέν und ἄν' p. 172.

120. III 37: 'ὧν εἰ καὶ νῦν ἐπιθυμεῖτε, ταῦτα κατεργάσασθε.' Sequens Hermannum quis exspectet imperatiuum praesentis, quia actio, quae postulatur, parandi moenia et naues — haec uerbo 'ταῦτα' significari assentior Reiskio — non breui temporis momento fit; potius orator tempore adhibito non ad exprimendum quendam modum actionis tetendisse mihi uidetur, sed actionem tantum ipsam respexisse. III 40: 'παριόντες οὖν αὐτοὶ διδασκόντων ὑμᾶς — τοῦτο μὲν τῶν γεγραμμένων εἴ τι τυγχάνει μὴ καλῶς ἔχον· ἔξεστι γὰρ ἀφελεῖν· τοῦτο δ' εἴ τίς (τι) προσθεῖναι βούλεται, πείσας ὑμᾶς προσγραψάτω.' Si imperatiuum praesentis 'διδασκόντων' aliquid durans indicare Hermanno et Kruegero concedimus, tum quidem etiam imperatiuo 'προσγραψάτω' tale quid significari existimo, nam uix dixerit quispiam, actionem docendi plus temporis consumere quam scribendi; eo quoque Hermannus minus bene imperatiuum praesentis ab aoristi discreuit, quod ille rem saepius repetitam, hic semel factam indicet; hoc saltem loco id non comprobatur; nam ut cogitari licet, semel 'διδάσκειν' suffecisse, ita fieri poterat, ut actio adscribendi repeteretur. Confugere debemus etiam hic ad id, quod Baeumleinius proposuit, utrumque imperatiuum promiscue adhiberi, si quis actionem ipsam, nihil aliud spectaret. Idem ualet de locis Antiphonteis, ex quibus unum afferre satis habeo, *Αβ* 8: 'εἰ δέ τις τὰ εἰκότα ἀληθέσιν ἴσα ἡγεῖται καταμαρτυρῆσαί μου, ταῦτ' ἀντιλογισάσθω, ὅτι με εἰκότερον ἦν ... ὀρθῶς γνῶναι.' Si imperatiuo aoristi exprimeretur, actionem deliberandi breui absoluendam aut semel faciendam esse, efficacius praesentis imperatiuum adhiberi duco ad monendum aduersarium, ut identidem secum reputet sententiam ipsius (oratoris), si tam peruerse sentiat.

Exempla Andocidea.

1) Apodosis tempore ac modo cum protasi consentit: III, 40: 'εἰ δὲ μηδὲν ἀρέσκει τούτων, πολεμεῖν ἕτοιμον.' Andocides aduersarios pacis cum Lacedaemoniis faciendae adhortans ad Athenienses instituendos et addens, quaecunque in litteras relata fuerint, si iis Athenienses utantur, licere in pace esse, sumit — affirmare nondum potest — horum omnium nihil placere atque tum bello decernendum esse censet. I 26. II 2. 17. 22.

Unum huiusmodi exemplum occurrit etiam in oratione IV., quae κατὰ Ἀλκιβιάδου inscribitur, quam ab Andocide compositam non esse inter omnes constat. Tamen non alienum esse puto, huius quoque operis suppositicii periodos hypotheticas congerere ad comparandum cum enuntiatis ceterarum orationum, quas omnes — tertiam quo-

que[1]) — Andocidis esse demonstratum est. — (IV) 38: 'εἰ δέ τις τῶν ἀποφυγόντων πάλιν περὶ τῆς αὐτῆς αἰτίας κατηγορεῖ, πῶς οὐ δίκαιον περὶ τοὺς ζῶντας καὶ τοὺς τεθνηκότας τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχειν;'[2]) Actio protasis utrum uere accidat necne, ab oratore in medio relinquitur.

2) Apodosis temporis futuri est: I 63: 'σὺ μέντοι εἰ μὲν ἀξιοῖς ἡσυχίαν ἔχειν καὶ σιωπᾶν, ἕξεις ἡμᾶς ἐπιτηδείους ὥσπερ καὶ πρότερον.' Meletus et Euphiletus illa uerba facientes scire non poterant, num Andocides quietum se continere et tacere uellet. (IV) 5. 31.

3) Apodosis in praeterito collocatae exempla desiderantur.

4) Apodosis modo potentiali formatur: II 3: 'εἰ δὲ μὴ ταὐτὰ ἡγοῦνται σφίσι τε αὐτοῖς συμφέρειν καὶ τῷ ὑμετέρῳ κοινῷ, δυσμενεῖς ἂν τῇ πόλει εἶεν.' Veretur Andocides, quos maxime ignaros et stultissimos appellare non dubitauit (cf. quae praecedunt), eosdem inimicos rei publicae iudicare, nisi eadem ipsis atque rei publicae prodesse arbitrentur; quam immodestiam ut euitet, modo potentiali utens conclusionem minus acrem firmamque facit.

5) Apodosis optatiuo solo formatae loci non exstant.

6) Apodosis imperatiuus est: I 33: 'εἰ οὖν ὑμῖν δοκῶ ἱκανῶς περὶ τούτων ἀπολελογῆσθαι, δηλώσατέ μοι, ἵνα προθυμότερον περὶ τῶν ἄλλων ἀπολογῶμαι.' Loquens sibi ipsi quidem recte se defendisse uidetur; num uero etiam iudicibus, nescit: facit igitur tantum, non contendit, illis quoque defensionem rectam uideri, quod si ita sit, ut nutu significent, iudices orat. I 120. III 40 (v. p. 218).

Exempla Antiphontea.

Praemittam, quid sentiam de fide tetralogiarum, nam V. et VI. orationes genuinas non esse nunc nemo fere existimauerit, I. haud immerito nomen Antiphontis ferre Blassius[3]) recte ostendit. Idem[4]) et Jernstedtius (ed. Ant.) tetralogias Antiphonti non abrogant, id quod fecerunt Dittenbergerus[5]) et Herwerdenus[6]). Huius argumentationem paululum mutandam esse censet Paulus Polack[7]), cum ex uocibus, quas ille tetralogiarum proprias esse demonstrauerit, uerbum

1) Cf. Blassius: Attische Beredtsamkeit, I² p. 329 sq. 2) Recte Gebauerus de hyp. et par. arg. p. 252 propter antecedentia anacoluthiam quandam cernit, cum exspectetur: 'εἰ δέ τις . . . κατηγορεῖ, ἀνέχεσθαι. καίτοι πῶς οὐ δίκαιον' etc. 3) l. c. p. 190 sqq. 4) l. c. p. 151 sq. 5) Herm. XVI p. 329 adn. 3. 6) Mnemos. N. S. IX p. 203. 7) 'de enuntiatorum interrogatiuorum apud Antiphontem et Andocidem usu' p. 10.

ἐπεξέρχεσθαι etiam I 24 reperiatur, nisi quis ob id etiam I. orationem suppositiciam esse concludat. Utut res se habet, rationem habendam esse duco, an exstent similitudines aut dissimilitudines inter tetralogias et ceteras Antiphontis orationes et quae qualesque sint.

Apodosis modo et tempore cum protasi consentit: V 64: '*εἰ μὲν οὖν τοῦτο εἰκάζειν με δεῖ, ἐξ ἴσου τοῦτό ἐστι καὶ ὑμῖν καὶ ἐμοί.*' Utrum faciendum sit, coniectandumne an uera rei gestae ratio cognoscenda (cf. sequentia), orator innocentem se esse confisus non iudicii sui esse arbitratur. *Αγ* 9. *Βγ* 8. Huc spectat etiam I 15, de quo infra agam. — Reliquarum formarum apodosis repperi unum locum, ubi potentialis adhibitus est: *Αα* 10.

Tres loci praebent imperatiuum: V 64. *Αβ* 8 (cf. p. 218). *Γβ* 6.

Indicatiuum, qui locum habet in enuntiatis condicionalibus, distare ab eo, qui in enuntiatis solutis adhibetur, deinde argumento sunt exempla forma quidem a prioribus non diuersa, sensu uero ac notione. Protasi fingitur aliquid, quod uero rerum statui obstare is, qui loquitur, non nescit.

Loci Lysiaci.

Apodosis indicatiuo praesentis formatur: VII 1: '*πρότερον μέν, ὦ βουλή, ἐνόμιζον ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ, ἡσυχίαν ἄγοντι, μήτε δίκας ἔχειν μήτε πράγματα· νυνὶ δὲ οὕτως ἀπροσδοκήτοις αἰτίαις καὶ πονηροῖς συκοφάνταις περιπέπτωκα, ὥστ' εἴ πως οἷόν τε, δοκεῖ μοι δεῖν καὶ τοὺς μὴ γεγονότας ἤδη δεδιέναι περὶ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι.*' Fingit orator, ueritatem iocose excedens, iis ipsis, qui non sint nati, facultatem cogitandi inesse posse; tum quidem illis ipsis metuenda esse, quae olim accidere possint; conficit hoc orator inde, quod ipse aetatem antea procul a litibus et negotiis agens in tam inopinatas criminationes nefariosque delatores inciderit. III 4. VII 17. XXII 2.

Exempla apodosis in indicatiuo futuri, praeteriti, in potentiali collocatae desunt in genuinis orationibus; suppositiciae hoc exhibent: XV 5: '*ἐχρῆν γὰρ αὐτούς, εἴπερ ἀληθῆ λέγουσιν, ἀνακαλεῖν μὲν Πάμφιλον, ὅτι ἀφαιρῶν τὸν ἵππον ἱππέως ἀπεστέρει τὴν πόλιν ...*' Fingi tantum protasi, uera esse, quae duces dicant, perspicuum fit ex uerbis sequentibus '*νῦν δὲ τούτων οὐδὲν ἐποίησαν ...*', quibus demonstratur, duces longe aliter egisse atque loquantur. Hic ut XIII 75 (v. p. 215 sq.) ex actione temporis praesentis aliquid antea actum esse concluditur; tamen parua differentia inter utrumque locum intercedit, quia hic ellipsis quaedam statuenda est; accuratius enim orator sic fere locutus sit: '*εἴπερ ἀληθῆ λέγουσιν,*

ἕπεται ὅτι uel simile quid ἐχρῆν . . . ἀνακαλεῖν;' XIII 75 breuiorem dicendi rationem effugit inserens 'δῆλον' sc. ἐστὶ νῦν 'ὅτι' sc. τότε etc.

Apodosis imperatiuus est XXXI 14: 'εἰ μέντοι τι μέρος περίεστι τῶν πολιτῶν, ὅ,τι τῶν αὐτῶν μετέσχε τούτῳ πραγμάτων, μετ' ἐκείνων . . . βουλεύειν ἀξιούτω.' Contemplantibus nobis, quo sententiarum contextu haec uerba legantur, dilucidum fit, nullam omnino partem ciuium unquam easdem cum illo[1]) rationes secutam esse ob eamque rem superesse non posse; orator igitur fingit tantum atque non sine quadam irrisione, talem ciuium partem superesse et tum postulat, ut reus cum illis munere senatorio fungi cupiat.

Loci huius generis Andocidei exstant duo: I 113: 'ἐγὼ δέ, ὦ ἄνδρες, εἰ ὡς μάλιστα ἀληθῆ λέγουσιν οἱ κατήγοροι, ὑπ' αὐτοῖν με φημὶ τοῖν θεοῖν σεσῶσθαι.' Oratorem, fingentem accusatores uera dicere, longe aliter sentire apparet ex uerbis, quae antecedunt: 'ὡς μὲν ἀληθῆ λέγω, μεμαρτύρηται· πολὺ δέ μοι δοκεῖ το ἐναντίον εἶναι ἢ οἱ κατήγοροι εἶπον.'

Apodosis alterius loci indicatiuo praeteriti formatur: I 22: 'ταῦτα δὲ λέγοντος τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ, ὡς ἅπαντες ἴστε, τί ὑπελείπετο τῷ Σπευσίππῳ λέγειν, εἰ ἀληθῆ οἵδε λέγουσιν, ἀλλ' ἢ Ὦ Λεωγόρα, τί βούλει περὶ θεραπόντων λέγειν;' Andocidem aduersarios mentiri persuasum habere elucet e §. 24. Accuratius orator uerba sic fecerit: 'τί ἕπεται, ὅ,τι ὑπελείπετο τῷ Σπευσίππῳ λέγειν, εἰ ἀληθῆ οἵδε λέγουσιν...' Paulus Polack[2]) post 'ὑπελείπετο' particulam ἂν omissam putat, id quod ex sequente interrogatione, quae illam priorem ut confirmet repetat ('ταυτὶ ἔλεγεν ἂν ὁ Σπεύσιππος, ὦ ἄνδρες, ἢ οὔ;') intellegi possit. Comparat Antiphontis Ββ 4; haud rara occurrunt huiusmodi exempla cf. Ant. Αβ 5. Γβ 2, quae infra tractabo; imperfectum sine uocula ἂν sonum orationis uiuidiorem atque fiduciae pleniorem reddit. Idem sentit Goelkelius.[3])

Tribus locis Antiphonteis apodosis modo ac tempore cum protasi congruit: VI 14: 'καὶ τούτων εἴ τι ψεύδομαι προφάσεως ἕνεκα, ἔξεστι τῷ κατηγόρῳ ἐξελέγξαι ἐν τῷ ὑστέρῳ λόγῳ ὅ,τι ἂν βούληται εἰπεῖν.' Inspicias uerba sequentia 'ἐπεί τοι οὕτως ἔχει' sc. ὡς διηγησάμην, uidebis, oratorem fingere tantum, non affirmare. I 1. VI 9.

1) Est autem reus Philon. 2) l. c. p. 42. 3) Beitr. z. Synt. d. Verb. u. z. Satzb. bei dem Redner Antiphon. p. 12.

In uniuersum de hoc genere enuntiatorum condicionalium dicendum est, multo minora exempla apud omnes tres oratores reperiri; non est quod hoc miremur, cum a communi usu loquendi abhorreat, aliquid pro uero ponere et contrarium fieri persuasum habere. Saepius uis condicionalis protaseos augetur particula *εἴπερ* — uocula *περ*, cuius origo ex praepositione *περὶ* petitur[1]), res prae ceteris esse significatur —, bis uocibus *ὡς μάλιστα* cum *εἰ* iunctis.

Sicuti is, qui loquitur, sumens aliquid fieri, contrarium cogitare potest, ita nonnulli loci restant, ubi orator condicionem proponens persuasum habet, rem, quam facit esse, cum uero rerum statu conuenire; subest protasi uis causalis: orator inde, quod aliquid fit, aliud concludit; latet sub specie, ut ita dicam, sumptionis affirmatio; *εἰ* accedit ad uim particulae *ἐπεί*; atque hic quidem indicatiuum protasis propriam suam uim non amittere concedo.

Lysiacae huiusmodi enuntiationes.

1) Apodosis indicatiuo praesentis formatur: VII 8: '*καίτοι εἰ τοὺς διὰ παντὸς τοῦ χρόνου γεωργοῦντας τῆς αἰτίας ἀφίετε, ἦ που χρὴ τούς γ' ἐν τῇ εἰρήνῃ πριαμένους ἀφ' ὑμῶν ἀζημίους γενέσθαι.*' Orator demonstrare studens, eo tempore, quo agrum nactus sit, neque oleam neque truncum oleae sacrae in eo fuisse ob eamque rem se culpa trunci oleae sublati absoluendum esse, commemorat tempestate belli Peloponnesiaci et postea multas cum priuatas tum sacras oleas excisas esse; a locorum ita uastatorum possessoribus iudices poenas repetere noluisse, cum alii, non ipsi possessores oleas excidissent; orator ita se defendere pergit: 'at enim si perpetuos agrorum colonos omni culpa absoluitis, eos certe, qui pace coëmerunt, a uobis indemnes esse decet'; ad protasin suppleri licet 'ut res se habet'; apparet enim ex periodo antecedente, absolui solere etiam perpetuos possessores agellorum oleis priuatorum; cohaeret apodosis cum protasi ita, ut haec minus condicio sit, ex qua illa pendeat, quam causa, cur apodosis eueniat. XXVII 15: '*καίτοι εἰ τοῖς μὴ δικαίως ἐπεξιοῦσιν ὀργίζεσθε, ἦ που σφόδρα χρὴ αὐτοὺς τοὺς ἀδικοῦντας τιμωρεῖσθαι.*' Comprobatur hoc loco, quod docent Akenius[2]) et Kuehnerus[3]), *εἰ* pro *ἐπεὶ* locum habere, cum causa generalis semperque ualens proferatur; uerba enim '*εἰ — ὀργίζεσθε*' generaliter significant, quae

1) Cf. Langius l. c. p. 67. 2) 'Grundzüge d. Lehre von Tempus u. Modus im Griechischen' p. 161. 3) gr. II p. 963.

periodo praecedente '*ἡμεῖς μὲν … διηλλάγημεν*' orator singillatim exposuit cf. And. III 16: '*εἰ δὲ μήτε δι' ὅ,τι μήτε ὅτοισι μήτε ἀφ' ὅτου πολεμήσωμεν ἔστι, πῶς οὐκ ἐκ παντὸς τρόπου τὴν εἰρήνην ποιητέον ἡμῖν;*' Antecedunt haec: '*εἰ τοίνυν περὶ τούτου μὲν ἔδει πολεμεῖν* ('*ἵνα Χερρόνησον καὶ τὰς ἀποικίας καὶ τὰ ἐγκτήματα καὶ τὰ χρέα ἀπολάβωμεν*'), *χρήματα δὲ ὑπῆρχεν ἡμῖν ἱκανά, τοῖς δὲ σώμασιν ἦμεν δυνατοί, οὐδὲ οὕτως ἔδει πολεμεῖν.*' — XII 34. XXV 16. XXX 17. (IX) 10. (XX) 30 (2). X 20: '*ἀλλ' εἰ μὴ σιδηροῦς ἐστιν, οἴομαι αὐτὸν ἔννουν γεγονέναι, ὅτι τὰ μὲν πράγματα ταὐτά ἐστι νῦν τε καὶ πάλαι, τῶν δὲ ὀνομάτων ἐνίοις οὐ τοῖς αὐτοῖς χρώμεθα νῦν τε καὶ πρότερον.*' Orator iudicat, Theomnestum percipere, res ipsas easdem tunc et olim esse, uerborum uero quorundam usum non permansisse, percipere ea condicione, ne plumbeus sit, id quod minime ignorabat orator; inest huic protasi uis quaedam ironica, orator ponit, aliquid non esse, quod esse non posse pro certo habet cf. (XX) 12.

2) Apodosis futuri est: XXV 2. (XIV) 19: '*εἰ δ' ἐκεῖνοι δοκοῦσι βελτίους εἶναι σώζοντες τοὺς φίλους, δῆλον ὅτι καὶ ὑμεῖς ἀμείνους δόξετε εἶναι τιμωρούμενοι τοὺς ἐχθρούς.*' In protasi latet affirmatio, quod re uera ii boni existimari solent, qui saluti amicorum prospiciunt.

Restant exemplum apodosis in praeterito collocatae, IV 5, et duo loci, ubi illa potentiali modo efficitur: XII 31: '*καίτοι εἰ χρὴ τοῖς διὰ τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν ἑτέρους ἀπολέσασι συγγνώμην ἔχειν, ἐκείνοις ἂν δικαιότερον ἔχοιτε*'. Ut XXVII 15, (XIV) 19 protasi continetur aliquid commune semperque ualens, ignosci oportere iis, qui, ne suam ipsi salutem amittant, alios perdant. Optatiuus potentialis hic quoque modeste loquentis est. — XIX 35.

Exempla Andocidea.

1) Apodosis tempore ac modo cum protasi consentit: I 56: '*εἰ οὖν οὕτως ἔχει ταῦτα, σῴζεσθαί τε ἀξιῶ καὶ δοκεῖν ὑμῖν εἶναι μὴ κακός.*' Andocides quae enarrauerit, a ueritate minime abhorrere persuasum habet. II 1. 24. 26. III 16. (IV) 12.

2) Apodosis futuri est: I 24.

Alias apodosis formas non repperi nisi imperatiuum III 37 (v. p. 218).

Loci Antiphontei.

1) Apodosis indicatiuo praesentis formatur: I 1: '*νέος μὲν καὶ ἄπειρος δικῶν ἔγωγε ἔτι, δεινῶς δὲ καὶ ἀπόρως ἔχει μοι*

περὶ τοῦ πράγματος, ὦ ἄνδρες, τοῦτο μὲν εἰ ἐπισκήψαντος τοῦ πατρὸς ἐπεξελθεῖν τοῖς αὐτοῦ φονεῦσι μὴ ἐπέξειμι, τοῦτο δὲ εἰ ἐπεξιόντι ἀναγκαίως ἔχει οἷς ἥκιστα ἐχρῆν ἐν διαφορᾷ καταστῆναι, ἀδελφοῖς ὁμοπατρίοις καὶ μητρὶ ἀδελφῶν.'[1]) Memorabile hoc exemplum ideo est, quia utrique protasi diuersa uis adhaeret; atque prior continet uim meram condicionalem, nam eo ipso, quod loquens accusator interfectorum patris exstitit, patris mandata se exsequi ostendit; posteriore uero protasi ponitur aliquid cum uero rerum statu congruens, quoniam eum, qui necessarios in ius uocet, in simultatem cum illis implicari oportere patet. — I 24. V 37. V 51: 'καὶ μὲν δὴ τὰ ἐξ ἴσου γενόμενα τοῦ φεύγοντός ἐστι μᾶλλον ἢ τοῦ διώκοντος, εἴπερ γε καὶ τῶν ψήφων ὁ ἀριθμὸς ἐξ ἴσου γενόμενος τὸν φεύγοντα μᾶλλον ὠφελεῖ ἢ τὸν διώκοντα.' Verum esse, quod protasi pronuntiatur, testimoniis ueterum confirmatur, ut Anaxim. Rhet. 18: 'τὸν μὲν νομοθέτην τάξαι τῶν ψήφων ἴσων γενομένων τὸν φεύγοντα νικᾶν — κἀκεῖνον μὲν διὰ τὸ μᾶλλον κινδυνεύειν τοὺς φεύγοντας ἀπονεῖμαι ταύτην τὴν πλεονεξίαν αὐτοῖς ἐν ταῖς ψήφοις...'[2]) V 66. VI 32. Ββ 5. Βδ 4.

2) Apodosis in alio modo et tempore collocatae exempla desunt praeter duos locos, ubi apodosis praeteriti est: V 48: 'εἴπερ γὰρ καὶ μαρτυρεῖν ἔξεστι δούλῳ κατὰ τοῦ ἐλευθέρου τὸν φόνον, καὶ τῷ δεσπότῃ, ἂν δοκῇ, ἐπεξελθεῖν ὑπὲρ τοῦ δούλου, καὶ ἡ ψῆφος ἴσον δύναται τῷ δοῦλον ἀποκτείναντι καὶ τῷ ἐλεύθερον, εἰκός τοι καὶ ψῆφον γενέσθαι περὶ αὐτοῦ ἦν, καὶ μὴ ἄκριτον ἀποθανεῖν αὐτὸν ὑφ' ὑμῶν.' Causalis uis protasis inde efficitur, quod re uera seruo in caedis causa testimonium contra liberum dicere licebat (cf. quae Maetznerus l. c. p. 224 adnotat). De apodosi idem dicendum est quod de apodosi alterius loci Γγ 4: 'εἰ γὰρ αἱ χεῖρες ἃ διανοούμεθα ἑκάστῳ ἡμῶν ὑπουργοῦσιν, ο μὲν πατάξας καὶ μὴ ἀποκτείνας τῆς πληγῆς βουλευτὴς ἐγένετο, ὁ δὲ θανασίμως τύπτων τοῦ θανάτου.' Etiam in his locis inter protasin et apodosin ἕπεται ὅτι uel simile quid exspectes; eo tantum a prioribus se distinguunt, quod concluditur non quasi retro h. e. a re praesente ad praeteritam, sed ab uniuerso, ut ita dicam, ad rem propriam et eam quidem temporis praeteriti.

1) Rectius sic dixisse oratorem putat Gölkelius (l. c. p. 46): '... τοῦτο μὲν εἰ... μὴ ἐπέξειμι, τοῦτο δὲ εἰ ἐπέξειμι· οὕτω γὰρ ἀναγκαίως ἔχει...' Locum similem (And.) IV 38 p. 219 commemoraui. 2) Plura adfert Maetznerus p. 124 edit.

Nemo hoc genus periodorum hypotheticarum respiciens non elegantiam quandam loquendi in eo cernet, quod orator, etsi uero rerum statui id, quod sumit, non aduersari persuasum habet, nihilo minus tamen *ἐπεὶ* uti eaque particula affirmationem exprimere ueretur, sed uim affirmatiuam protasis dissimulat uocula condicionali anteposita, quae cum indicatiuo consociata per se incertum relinquit, utrum loquens actionem protasis ueram ducat necne; licet quidem oratori in negatiuis huiusmodi protasibus negationem *οὐ* adhibere eaque adhibita uim affirmatiuam protasis notare[1]); memorabile est, Antiphontem, Andocidem, Lysiam hac dicendi ratione se abstinere. — Quod Kuehnerus[2]) *εἰ* pro *ἐπεὶ* usurpari docet tum, 'wenn man den Grund nicht auf einen bestimmten Fall beziehen, sondern ihn als einen allgemein gültigen bezeichnen will', item Akenius[3]) 'um einen Grund zu verallgemeinern, dass dieser nicht bloss jetzt gelte, sondern überall wieder dasselbe bewirken werde', ostendi supra, nonnullis locis uelut Lys. XXVII 15. And. III 16 etc. hoc comprobari, minime omnibus, cum Lys. VII 8. X 20. XII 34. XXV 16. XXX 17. XXV 2. — IV 5. — XIX 35. And. I 56. II 26. — I 24. — III 37. Ant. I 1. 24. V 37. 66. VI 32 non de rebus uniuersis ac semper ualentibus agatur, sed de rebus, quas tunc ipsum ualere orator contendit non spectans aliud tempus. — Dicere non omittam, etiam hic saepius protasin particula *εἴπερ* incohari; quoniam uidimus, uim condicionalem protasis illa augeri, nonne crescit etiam elegantia dicendi, si orator praedicat, se sumere tantum aliquid, etsi affirmat?

Compluribus locis, ubi actio protasis item cum statu rerum consentit, *εἰ* minus uices particulae *ἐπεὶ* tenet quam Latinorum 'quod' idem ualentis atque uernaculum 'was das betrifft, dass'.

Lys. XIII 84: '*εἰ δὲ πάλαι δέον τιμωρεῖσθαι ὕστερον ἡμεῖς τιμωρούμεθα, τὸν χρόνον κερδαίνει ὃν ἔζη οὐ προσῆκον αὐτῷ, οἱ δὲ ἄνδρες ὑπὸ τούτου οὐδὲν ἧττον τεθνήκασιν.*' Protasi Lysias repetit, quod Agoratus dixerat (§. 83: '*μήτε οὖν ταῦτα αὐτοῦ ἀποδέχεσθε, μήτε ἂν λέγῃ, ὅτι πολλῷ χρόνῳ ὕστερον τιμωρούμεθα*), ut in apodosi contradicat.

Andocidis orationes exemplis carent. — Ant. VI 17: ('*αἰτιῶνται δὲ οὗτοι μὲν ἐκ τούτων ὡς οὗτος ἐκέλευσε πιεῖν τὸν παῖδα τὸ φάρμακον ἢ ἠνάγκασεν ἢ ἔδωκεν*...) *καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν εἴ τις ἐκέλευσεν, ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ· οὐ γὰρ ἐκέλευσα. καὶ εἴ φασιν ἀδικεῖν εἴ τις ἠνάγκασεν, ἐγὼ οὐκ ἀδικῶ· οὐ γὰρ ἠνάγκασα.*

1) Aken. l. c. p. 161. 2) gr. II p. 983. 3) l. c. p. 161.

καὶ εἰ τὸν δόντα τὸ φάρμακόν φασιν αἴτιον εἶναι, ἐγὼ οὐκ αἴτιος· οὐ γὰρ ἔδωκα.' Quae protulerant aduersarii, non comperimus V 78: '*εἰ δ' ἐν Αἴνῳ χωροφιλεῖ, τοῦτο (ποιεῖ) οὐκ ἀποστερῶν γε τῶν εἰς τὴν πόλιν ἑαυτὸν οὐδενὸς οὐδ' ἑτέρας πόλεως πολίτης γεγενημένος, ὥσπερ ἑτέρους ὁρῶ...*' Nihil autem obstat, quominus aduersarios patrem dicentis calumniantes in eo offendere, quod ille Aeni quam Mytilenis uersari mallet, credamus spectantes apodosin, ubi defenditur consuetudo patris a filio. — Protasi oratoi recurrit ad id, quod ipse antea exposuit, *Bδ* 9: '*εἰ δὲ αὐθέντης ἐκ τῶν λεγομένων ἐπιδείκνυται, οὐχ ἡμεῖς αὐτῷ οἱ λέγοντες αἴτιοί ἐσμεν, ἀλλ' ἡ πρᾶξις τῶν ἔργων*' cf. §. 8. Quod Albertus Winter[1]) locos adfert, in quibus condicio non ad rem ipsam pertineat, sed ad eius, in quem oratio conuersa est, uel cognitionem uel animi affectum, huiusmodi exemplum exstat And. I 113: '*ἔλεξαν γάρ, εἰ μέμνησθε, ὅτι αὐτώ με τὼ θεὼ παραγάγοιεν ὥστε θεῖναι τὴν ἱκετηρίαν μὴ εἰδότα τὸν νόμον, ἵνα δῶ δίκην.*' Luce clarius est, non eam inter sententiam primariam et secundariam locum habere rationem, ut ex recordatione audientium orator concludat, accusatores dixisse illum a deis ipsis adductum esse, ut ramum deponeret; hoc potius dicit: 'contenderunt enim illi, si meministis h. e. sumo uos meminisse, a deis ipsis me impulsum esse' etc. Quoniam sententia '*ἔλεξαν γάρ... ὅτι αὐτώ με τὼ θεὼ παραγάγοιεν*' ex nulla condicione pendet, Winterus p. 7 apodosin efficiendam esse putat uerbo *λέγω* uel simili, Ferdinandus Petri[2]) loco simili, Arist. Eccles. us. 21, uertit: 'ich nehme an, ihr erinnert euch noch', nihil supplendum esse censens; cerni potius hic aequabilitatem membrorum, quae primo enuntiatis condicionalibus inerat. Hoc rectum esset, si indicatiuus protasis eandem uim haberet atque in enuntiatis liberis, id quod contendit Petri, quasi 'sumo uos meminisse' idem sit quod 'affirmo uos meminisse'. Equidem Andocidem ellipsi quadam usum esse existimauerim; accuratius sic fere locutus sit: '*εἰ μέμνησθε, εὑρήσετε, εἴσεσθε* uel simile quid, *ὅτι ἔλεξαν (οἱ κατήγοροι)*' etc. Praeposita apodosi periculum erat, ne accuratiore ratione dicendi tardior fieret cursus orationis, id quod euitare studens breuius loquebatur Andocides. — Apud eundem repperi duo exempla generis periodorum hypotheticarum apud tragicos haud rari, ubi quis, num ea, quae aut modo pronuntiauit aut pronuntiaturus est, uel dicere uel optare uel interrogare sibi liceat uel opus sit, dubitat idque indicat tali-

1) l. c. p. 7. 2) l. c. p. 1.

bus: *εἰ θέμις, εἰ χρή, εἰ χρεών* cf. Winter l. c. p. 8. And. I 139: '*εἴπερ οὖν δεῖ τὰ τῶν θεῶν ὑπονοεῖν, πάνυ ἂν αὐτοὺς οἶμαι ἐγὼ ὀργίζεσθαι καὶ ἀγανακτεῖν, εἰ τοὺς ὑφ' ἑαυτῶν σῳζομένους ὑπ' ἀνθρώπων ἀπολλυμένους ὁρῷεν.*' (IV) 34. Tertium exemplum praebent tetralogiae, *Δδ* 2: '*καινότατα γὰρ δή, εἰ χρὴ καινότατα μᾶλλον ἢ κακουργότατα εἰπεῖν, διαβάλλουσί με*', quartum Lys. Erot. 231 C: '*ἔτι δὲ εἰ διὰ τοῦτο ἄξιον τοὺς ἐρῶντας περὶ πολλοῦ ποιεῖσθαι, ὅτι τούτους μάλιστά φασι φιλεῖν ὧν ἂν ἐρῶσι…, ῥᾴδιον γνῶναι…*'

Semel protasis ad unam uocem referenda est, cuius uim accuratius significat: And. I 140: '*ἐπειδὴ τοίνυν παρὰ πάντων ὁμολογουμένως ταῦθ' ὑμῖν ὑπάρχει, καὶ εἴ τις φίλος ὢν τυγχάνει καὶ εἴ τις ἐχθρός, μὴ μεταγνῶτε, μηδὲ βούλεσθε τὴν πόλιν ἀποστερῆσαι ταύτης τῆς δόξης, μηδὲ αὐτοὶ δοκεῖν τύχῃ ταῦτα μᾶλλον ἢ γνώμῃ ψηφίσασθαι.*' Apodosis uoce '*πάντων*' formatur, cuius notio adiuncta protasi dissoluitur atque illustratur.

§. 2. In protasi *εἰ* cum indicatiuo futuri iunctum exstat.

Loquens sumit, aliquid postea euenturum esse, unde aliud concludit; quoniam de rebus futuris plerumque incerti sumus, facile intellegitur, si quidem exempla occurrant, ubi quis actionem protasis ad effectum perductum iri iam antea persuasum habet, multo tamen rariora esse quam in superiore classe enuntiatorum condicionalium. Atque in his locis protasi magis causalis uis quam condicionalis inest:

Lysias.

XXXIV 2: '*καίτοι τί ἔδει φεύγοντας κατελθεῖν, εἰ χειροτονοῦντες ὑμᾶς αὐτοὺς καταδουλώσεσθε;*' Audientium sententiam eo inclinare, ut suffragio se in seruitutem redacturi sint, orator persuasum habet, quippe qui modo professus sit: '… *ὑμῶν δὲ τῶν ἀκροωμένων* sc. *θαυμάζω, ὅτι πάντων ἐστὲ ἐπιλησμονέστατοι ἢ πάσχειν ἑτοιμότατοι κακῶς ὑπὸ τοιούτων ἀνδρῶν…*' XII 74: '*μετ' ἐκεῖνον δὲ Λύσανδρος ἀναστὰς ἄλλα τε πολλὰ εἶπε καὶ ὅτι παρασπόνδους ὑμᾶς ἔχοι, καὶ ὅτι οὐ περὶ πολιτείας ὑμῖν ἔσται ἀλλὰ περὶ σωτηρίας, εἰ μὴ ποιήσεθ' ἃ Θηραμένης κελεύει.*'[1])

1) Sic legunt Scheibius, Frohbergerus, alii Cobeto auctore contra Palatini auctoritatem exhibentis '*ποιήσαιθ'*' et '*κελεύοι*'. Scriptura tradita fulcitur XIII 25: '… *καὶ αὐτοὶ ἔφασαν συνεκπλευσεῖσθαι, ἕως τὰ πράγματα κατασταίη, λέγοντες ὅτι, εἰ κομισθείη εἰς τὴν βουλήν, βασανιζόμενος ἴσως ἀναγκασθήσεται ὀνόματα εἰπεῖν Ἀθηναίων…*' Alia exempla modorum in oratione obliqua uarietatis affert Gebauer. (ed. Frohb. I²

Lysander pro uero ponit, ciues Athenienses Theramenis iussis non oboedituros esse, id quod illos ostendisse uerba §i praecedentis argumento sunt: 'ὑμεῖς δ' ὅμως καὶ οὕτω διακείμενοι ἐθορυβεῖτε ὡς οὐ ποιήσοντες ταῦτα sc. ἃ Θηραμένης ὑμᾶς ἐκέλευσεν.' XII 83: 'ἀλλὰ γὰρ εἰ τὰ χρήματα τὰ φανερὰ δημεύσετε, καλῶς ἂν ἔχοι τῇ πόλει...' Auctoritatem codicum reliquit atque optatiuum protasis legi uoluit Reiskius, cum indicatiuum futuri in enuntiato condicionali, praesertim ubi potentialis apodosis sequitur, tolerare non posset; uelut III 43 optatiuum in protasi restituit. (de quo loco infra agam). Recentiorum Gebauerus (l. c. p. 285) accuratius de hoc loco difficili egit; uenit ad hanc summam, ut uicissitudinem constructionis (periodus hypothetica antecedens atque huic respondens praebet εἰ c. opt.) tantum ex uariandi studio oratoris explanari posse iudicet; tunc uero Lysiam scripturum fuisse 'δημεύσετε' — 'ἕξει'; ceterum 'δημεύσαιτε' etiam XIX 38 in 'δημεύσετε' corruptum esse. Recte quidem; unde uero non sequitur, etiam hic mutari debere; id eo minus, quia codicum lectio bene potest explicari. Atque optime Meutznerus [1]) ostendit, Lysiam, ut tunc status rerum erat, scire posse, maiorem partem iudicum non extremam poenam in Eratosthenem decernere uelle; a parte iudicum illum etiam absolutum iri, Lysiam prouidisse e §o 100 orationis concludi debet. Latet igitur in protasi, ubi Lysias ponit, a magna parte iudicum reum non capitis damnandum, sed bonis tantum priuandum censeri, affirmatio. Recte Meutznerus indicatiuo futuri protasis notionem uoluntatis attribuit [2]), id quod etiam in XII 74. XXXIV 2 quadrat. — XXIX 5. XXXII 25. (XV) 8.

Orationes Andocidis uacant exemplis.

Antiphon.

Aβ 4: 'εἰ γὰρ τούτων ἀναιτίων δοκούντων εἶναι ἐν ἐμοὶ τἀδίκημα φανεῖται, τούτων ὑπόπτων ὄντων ἐγὼ δικαίως ⟨ἂν⟩ καθαρὸς δοκοίην εἶναι. Vis affirmatiua, qua protasis praedita est, elucescit periodum sic legenti: 'εἰ μὲν γὰρ οὗτοι ἀναίτιοι δοκοῦσιν (δόξουσιν) εἶναι, ἐν ἐμοὶ τἀδίκημα φανεῖται — hoc euenturum esse orator exploratum habet — εἰ δὲ ὕποπτοί εἰσιν, ἐγὼ δικαίως ⟨ἂν⟩ καθαρὸς δοκοίην εἶναι.' —

p. 278), qui coniecturam Cobeti recepit, propterea quod tum modi semel tantum mutantur; equidem emendationem ob id etiam probo, quia librarius parum diligenter transscribens propter antecedentes optatiuos (μέλοι, εἰ δείη, λέγοι, ἔχοι) facile quoque 'ποιήσαιθ'' et 'κελεύοι' scribere poterat. 1) N. J. f. P. uol. 91. p. 684. 2) Cf. Aken. l. c. p. 145.

Haud maior numerus eorum locorum est, ubi orator fingens aliquam rem factum iri non inscius est, uerum rerum statum longe alium fore.

Lys. XII 70: 'ὁ δὲ (Θηραμένης) ὧν μὲν ὑπέσχετο οὐδὲν ἔπραξεν... εὖ εἰδὼς ὅτι, εἰ μὴ πασῶν τῶν ἐλπίδων ἀποστερηθήσεσθε, ταχεῖαν παρ' αὐτοῦ τὴν τιμωρίαν κομιεῖσθε.' Theramenes non ignorabat, Athenienses moenibus dirutis atque commutato rei publicae statu omnem spem salutis amissuros esse. XXII 17: 'εἰ γὰρ ἀπογνώσεσθε ὁμολογούντων αὐτῶν ἐπὶ τοὺς ἐμπόρους συνίστασθαι, δόξεθ' ὑμεῖς ἐπιβουλεύειν τοῖς εἰσπλέουσιν.' Orator faciens, frumentarios absolutum iri, persuasit sibi, hoc non euenturum esse, id quod confirmatur praegrediente periodo, qua plenus fiduciae liberationem frumentariorum non modo non factum iri, sed ne posse quidem fieri affirmat. XXII 17 (paulo infra). XXIV 3. XXIX 2. (II) 45: 'εἰ γὰρ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων προδιδόμενοι μετὰ τῶν βαρβάρων ἔσονται, οὔτ' ἐκείνοις δεήσειν χιλίων νεῶν οὔτε τούτους ὠφελήσειν τὸ ἐν Ἰσθμῷ τεῖχος'· Athenienses hanc condicionem proponentes id maxime egerunt, ut Lacedaemonios reuocarent a consilio, quo ceteros Graecos barbaris tradere non uerebantur; nam semet ipsos nunquam a barbarorum partibus staturos esse, Atheniensibus erat persuasum. (XIV) 25: 'οὗτος γὰρ... ἔπινε μὲν... ἐκώμαζε δὲ... ἡγούμενος οὐκ ἂν δύνασθαι πρεσβύτερος ὢν λαμπρὸς γενέσθαι, εἰ μὴ νέος ὢν πονηρότατος δόξει εἶναι.'[1]) Alcibiades sic cogitauerit: 'οὐκ ἂν δυναίμην πρεσβύτερος ὢν λαμπρὸς γενέσθαι, εἰ μὴ νέος ὢν πονηρότατος δόξω εἶναι.' Moribus uiuendique ratione Alcibiadis comprobatur, persuasum habuisse illum, contrarium protasis factum iri. — (XIV) 11.

And. I 53: 'καὶ τοῖς μὲν οὐδέπω βέβαιος ἦν ἡ σωτηρία, τοῖς δὲ ἐμοῖς οἰκείοις φανερὸς (ὁ) ὄλεθρος, εἰ μή τις ἐρεῖ Ἀθηναίοις τὰ γενόμενα.' Andocides narrat, quibus deliberationibus post adhortationes Charmidis consobrini atque ceterorum commotus

1) Scriptura 'δόξει' exhibetur compluribus codicibus minoris pretii, commendatur lectione praestantissimi codicis 'δείξει'; in codice Laurentiano legitur 'δόξειεν', quod recepit maior pars editorum. Auctoritatem Palatini seruari posse censeo cum Westermanno et Frohbergero, qui loco Demosthenico XXII 25 adiungere potuit Lys. (II) 22. 32. 45. Si Bremius, excursu ad Lysiam VII. usum particulae εἰ c. fut. coniunctae contra Reiskium et Bekkerum defendens, praestantiam Palatini pro explorato habuisset, nego eum secuturum fuisse Bekkerum cum Laurentiano, quem optimum duxit, 'δόξειεν' legentem.

sit, ut nomina sontium indicaret atque ita necessarios trecentosque Athenienses certo liberaret supplicio, quas deliberationes primo (§. 51) oratione recta profert, deinde oratione obliqua; hic uero quasi recurrit cogitatione ad illud tempus, quo ipse in uincula coniectus iudicium facere constituit; atque tum ita rem secum considerauerit: 'καὶ τοῖς μὲν οὐδέπω βέβαιος ἔσται ἡ σωτηρία, τοῖς δὲ ἐμοῖς' etc.; quod Atheniensibus res gestas aperuit (nomina sontium indicauit), facile intellegitur, quali ui affecta sit protasis.

Loci Antiphontei desiderantur.

Longe maxima parte exemplorum loquens nescit, utrum actio protasis ad effectum uentura sit necne, aut ueritatis nullam habet rationem, sumens tantum, ut inde concludat.

Lys. XXVII 7: 'ἤκουσι δὲ πάντες οἱ τὰ τῆς πόλεως πράττοντες οὐχ ἡμῶν ἀκροασόμενοι, ἀλλ' ὑμᾶς εἰσόμενοι ἥντινα γνώμην περὶ τῶν ἀδικούντων ἕξετε. ὥστ' εἰ μὲν ἀποψηφιεῖσθε τούτων, οὐδὲν δεινὸν δόξει αὐτοῖς εἶναι ὑμᾶς ἐξαπατήσαντας ἐκ τῶν ὑμετέρων ὠφελεῖσθαι· ἐὰν δὲ καταψηφισάμενοι θανάτου τιμήσητε.' Utram sententiam iudices laturi sint, orator adhuc ignorat. De differentia, quae inter priorem et posteriorem protasin intercedit, disputabo tractans enuntiata condicionalia per ἐὰν formata. XXI 25: '... ἀξιῶ... ὑμᾶς νυνὶ ἐν τῷ θαρραλέῳ ὄντας ἐμὲ καὶ τοὺς παῖδας τούτους περὶ πολλοῦ ποιήσασθαι, ἡγουμένους ἡμῖν μὲν δεινὸν ὑμῖν δὲ αἰσχρὸν εἶναι, εἰ ἀναγκασθησόμεθα ἐπὶ τοιαύταις αἰτίαις ἄτιμοι γενέσθαι'... Non debet hoc exemplum cum iis commisceri, ubi apodosis praedicatiue et uocula εἰ pro ὅτι posita est, — quae separatim tractabo —, nondum enim loquens affirmare potest, utrum infamis discessurus sit necne. XXVII 13: ('εἰ μὲν ἀδικεῖν τούτους μηδὲν νομίζουσιν..., οὕτως πείθειν ὑμᾶς ἀποψηφίσασθαι sc. ἀξιῶ)· εἰ δὲ νομίσαντες ἀδικεῖν αἰτήσονται — breuius dictum pro εἰ δὲ νομίζουσιν ἀδικεῖν (τούτους) καὶ (ὅμως) αἰτήσονται — δῆλον ὅτι τοῖς ἀδικοῦσιν εὐνούστεροί εἰσιν ἢ ὑμῖν τοῖς ἀδικουμένοις...' In hac quoque protasi — de priore egi p. 214 — orator sumit tantummodo indeque concludit nullo ueritatis respectu. — Sufficiant haec exempla ad uim condicionalem protasis illustrandam.

Variorum generum apodosis id principem locum obtinere consentaneum est, ubi apodosis tempore ac modo cum protasi congruit; condicionem futuri temporis conclusio ex illa suspensa sequi debet in tempore futuro. Interdum autem is, qui loquitur, discedit a logicae rationis uia in dicendo et protasi apodosin in tempore praesenti collocatam adiungit, uelut Lys. XIII 93: 'εἰ γὰρ ἀποψηφι-

εἴσθε Ἀγοράτου τουτουΐ, οὐ μόνον τοῦτο διαπράττεσθε, ἀλλὰ καὶ ἐκείνων τῶν ἀνδρῶν, οὓς ὁμολογεῖτε ὑμῖν εὔνους εἶναι, τῇ αὐτῇ ψήφῳ ταύτῃ θάνατον καταψηφίζεσθε.' Orator efficaciter indicatiuis praesentis utitur; exprimere studens, certissime res conclusas euenturas esse, obliuiscitur, eas a futura demum actione aptas esse cf. Kuehner. gr. II p. 119: '... zuweilen werden rein zukünftige Handlungen als gegenwärtige durch das Präsens bezeichnet, wenn der Redende das noch in der Zukunft Liegende entweder in der Lebendigkeit der Auffassung oder in der festen Ueberzeugung von dem Eintreten desselben als ein schon Gegenwärtiges anschaut.' Huc spectat etiam XXVII 13 (u. p. 230), nam si post 'δῆλον' supplendum esset 'ἔσται', nego oratorem omissurum fuisse; saepissime autem in eiusmodi uocibus uerbum 'ἐστίν' deest. Loco indicatiui participium praesentis munere apodosis fungitur X 22: 'ἐγὼ δὲ ἑωρακὼς μὲν ἐκεῖνο τοῦτον ποιήσαντα..., αὐτὸς δὲ σώσας τὴν ἀσπίδα, ἀκηκοὼς δὲ οὕτως ἄνομον καὶ δεινὸν πρᾶγμα, μεγίστης δὲ οὔσης μοι τῆς συμφορᾶς, εἰ ἀποφεύξεται, τούτῳ δ' οὐδενὸς ἀξίας, εἰ κακηγορίας ἁλώσεται, οὐκ ἄρα δίκην παρ' αὐτοῦ λήψομαι;' Exspectetur 'ἐσομένης' scriptum, sed orator ira incensus logicam dicendi rationem neglegit, conclusionibus eo maiorem uim tribuens. Accedunt XXI 25 (u. p. 230). XVIII 15. XXX 16. (VI) 13. (XIV) 23. Sufficere iudico hos locos ad auctoritatem codicum XXIV 13 defendendam, ubi Frohbergerus[1]) legi uoluit: 'καίτοι εἰ τοῦτο πείσει τινὰς ὑμῶν, ὦ βουλή, τί με κωλύσει (libri κωλύει) κληροῦσθαι τῶν ἐννέα ἀρχόντων ...;' Paulo aliter res se habet And. III 21: 'καὶ γὰρ εἴ τις ὑμῶν ἀχθεσθήσεται, παραιτοῦμαι'· hic quidem indicatiuus praesentis non rhetorice adhibitus est, sed suum locum habet, cum orator dicere uelit: 'si quis uestrum aegre feret (ea, quae commemorabo), ueniam deprecor sc. iam nunc, antequam uerba faciam. Item differentia temporum protasis et apodosis naturalis est (IV) 36: 'οὕτω γὰρ χαλεπός ἐστιν, ὥστε οὐ περὶ τῶν παρεληλυθότων ἀδικημάτων αὐτὸν τιμωροῦνται ἀλλ' ὑπὲρ τῶν μελλόντων φοβοῦνται, καὶ τοῖς μὲν πεπονθόσι κακῶς ἀνέχεσθαι λυσιτελεῖ, τούτῳ δὲ οὐκ ἐξαρκεῖ sc. ν ῦ ν, εἰ μὴ καὶ τὸ λ ο ι π ὸ ν ὅ,τι ἂν βούληται διαπράξεται.'

Apud Antiphontem nullum exemplum huius efficacis locutionis repperi.

Indicatiuus praeteriti in apodosi etiam hic per ellipsin expla-

1) Philol. XXIX p. 625.

natur, ut Lys. XXXIV 2 accuratius oratori sic loquendum fuerit: 'καίτοι τί ἄλλο ἕψεται ἢ ὅτι οὐκ ἔδει φεύγοντας κατελθεῖν, εἰ χειροτονοῦντες ὑμᾶς αὐτοὺς καταδουλώσεσθε;' Indicatiuus perfecti scriptus uidetur in codicibus Lys. XXIX 5: ('ἡγοῦμαι δέ, ὦ ἄνδρες δικασταί, Φιλοκράτει δύο εἶναι καὶ μόνας ἀπολογίας· προσήκει (Palat. προσήκειν) γὰρ αὐτῷ ἀποδεῖξαι ἢ ἑτέρους ἔχοντας τὰ Ἐργοκλέους χρήματα, ἢ ἀδίκως ἀπολωλότα ἐκεῖνον καὶ οὐδὲν ὑφῃρημένον τῶν ὑμετέρων οὐδὲ δεδωροδοκηκότα·) εἰ δὲ τούτων μηδέτερον ποιήσει, δέδοκται καταψηφίζεσθαι, καὶ μὴ τοῖς μὲν παρὰ τῶν ἄλλων λαμβάνουσιν ὀργίζεσθαι, τοῖς δὲ τὰ ὑμέτερ' αὐτῶν ἔχουσι συγγνώμην ἔχειν.'[1])

Saepius modus potentialis reperitur in apodosi et imprimis tum, cum euentus rei sumptae loquenti incertus est; tum conclusionem quoque minus firmam reddi admodum conuenit. Lys. III 43. VII 41. X 10. XIII 94. (XV) 3.

Andocidis orationes uacant exemplis. — Ant. V 90: 'πῶς ἂν οὖν ὀρθῶς δικάσαιτε περὶ αὐτῶν; εἰ τούτους τε ἐάσετε τὸν νομιζόμενον ὅρκον διομοσαμένους κατηγορῆσαι, κἀμὲ περὶ αὐτοῦ τοῦ πράγματος ἀπολογήσασθαι.' Protasi orator ad id, quod interrogauit iudices apodosi, respondet. Merito Paulus Polack (l. c. p. 40) refutauit lectionem Cobeti (Mnemos. N. S. VIII p. 283): 'εἰ τούτους τε ἐάσαιτε'; 'ob praecedens δικάσαιτε necesse est scribere ἐάσαιτε', afferens *Αβ* 4, cui loco accedunt omnes, quos modo commemoraui. — *Αβ* 4. *Γδ* 3.

1) Scriptura tradita (δέδοκται) offendebat iam Emperium, qui permirum esse censuit, oratorem scire, quid iudices apud animum constituerint; scripsit 'δεδόχθαι', suspensum e uerbo periodi antecedentis 'προσήκει'; ex quo uero constat, in codice optimo scriptum fuisse 'προσήκειν' ab ἡγοῦμαι aptum, 'δεδόχθαι' quoque ad uocem 'ἡγοῦμαι' referri debet, quod uero Franckeno displicuit propter interpositum infinitiuum προσήκειν; deinde sequentia ('καὶ μὴ τοῖς μὲν — ὀργίζεσθαι, τοῖς δὲ — συγγνώμην ἔχειν') ad irritandos iudices dicta esse, non ad referendum, quid apud iudices constitutum esset; Franckenus Dobraeo assentiens necessitatis notionem apodosi inserendam esse proposuit (Comm. Lys. p. 230) 'δεῖ αὐτοῦ'; sed tam firma fiduciaeque plena ratio dicendi facile iudices exacerbare potuit, quam ob rem praefero 'δέομαι'. Ceterum quod Baiterus 'δεδόχθαι' abesse maluit, ut ad 'καταψηφίζεσθαι' supplendum sit 'προσήκειν' — rectius προσήκειν ὑμῖν' propter antecedens 'προσήκειν γὰρ αὐτῷ', — ad id 'ἡγοῦμαι', huius audacioris dictionis exempla erant proferenda. Melius abesset 'δεδόχθαι', si antea restituimus indicatiuum 'προσήκει'; sed etiam tum desideratur pronomen 'ὑμῖν'. Gölkelius l. c. p. 15 infinitiuo δεδόχθαι adhaerere uim imperatiui censet; quae adfert ex Herodoto, Antiphonte, ualde differunt ab hoc loco.

Unum exemplum apodosis in imperatiuo collocatae exstat And. I 103: 'εἰ οὖν ἐμοῦ καταψηφιεῖσθε, ὁρᾶτε μὴ οὐκ ἐμοὶ μάλιστα τῶν πολιτῶν προσήκει λόγον δοῦναι τῶν γεγενημένων, ἀλλὰ πολλοῖς ἑτέροις μᾶλλον . . .' Albertus Winter l. c. p. 22 indicatiuum futuri protaseos, imperatiuo in apodosi locum habente, primum de iis poni docet, quae futura esse iam nunc constet; id quod huc non quadrat, cum orator nesciat, utrum actio protasis euentura sit necne. Deinde indicatiuum futuri adhibendum esse in iis Winterus iudicat, in quibus non futura rerum condicio respiciatur, sed perficiendae actionis uoluntas, quae alteri iam nunc sit. Andocidis uero minus interest, quid ipsi iudices facere in animo habeant — quamquam notionem uoluntatis saepe indicatiuo futuri tribui posse uidimus — quam quid facturi sint, utrum liberaturi an condemnaturi ipsum sint; si hoc fiat, hortatur illos, ut uideant, nonne multis aliis ciuibus magis quam ipsi ratio rerum gestarum reddenda sit. Accedit, quod orator minime exploratum habet, num iudices uoluntate ipsius perdendi sint praediti.

§. 3. εἰ cum indicatiuo perfecti.

Priusquam transeam ad enuntiata condicionalia in historicis temporibus collocata, afferam paruum numerum eorum locorum, in quibus particulam εἰ indicatiuus perfecti sequitur.

De rebus actis quoniam certi quid scire solemus, nempe aut ad effectum perductas esse aut non euenisse, mirari non debemus, quod maiore exemplorum parte protasis factum continet aut loquens fingit rem accidisse, non ignarus sumptionem a ueritate abhorrere.

Lys. XIII 92: 'εἰ τοίνυν τι ἐκεῖνοι ἀγαθὸν τὴν πόλιν ἢ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον φανεροί εἰσι πεποιηκότες, ἃ καὶ αὐτοὶ ὑμεῖς ὁμολογεῖτε, ἀνάγκη ὑμᾶς ἐστι πάντας ἐκείνοις φίλους καὶ ἐπιτηδείους εἶναι, ὥστε οὐδὲν μᾶλλον ἡμῖν ἢ καὶ ὑμῶν ἑνὶ ἑκάστῳ ἐπέσκηψαν.' Ex intercalato enuntiato 'ἃ καὶ αὐτοὶ ὑμεῖς ὁμολογεῖτε' apparet, protasi non sumi tantum, sed affirmari. XXIV 21: 'εἰ γὰρ ὑπὲρ τῶν μεγίστων εἴρηκα, τί δεῖ περὶ τῶν ὁμοίως τούτῳ φαύλων σπουδάζειν;' Re uera orator 'ὑπὲρ τῶν μεγίστων' uerba fecit, a §o 4—14. VII 5. XXII 2. XXVI 7.

And. I 33: ('εἰ μέν τι ἠσέβηκα ἢ ὡμολόγηκα ἢ ἐμήνυσα κατά τινος ἀνθρώπων, ἢ ἄλλος τις περὶ ἐμοῦ, ἀποκτείνατέ με· οὐ παραιτοῦμαι·) εἰ δὲ οὐδὲν ἡμάρτηταί μοι . . ., δέομαι ὑμῶν αὐτὸ φανερὸν τοῖς Ἕλλησι πᾶσι ποιῆσαι, ὡς ἀδίκως εἰς τόνδε

τὸν ἀγῶνα κατέστην.' Andocidem non fingere, sed profiteri innocentiam suam, negatione οὐδὲν in protasi adhibita demonstratur (cf. quae de usu negationis in huiusmodi periodis hypotheticis protuli p. 225). Protasis cum uero rerum statu consentit etiam I 148: 'μὴ τοίνυν, εἰ αὐτοὶ sc. οἱ πρόγονοι οἱ ἐμοὶ τεθνᾶσι, καὶ περὶ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς ἐπιλάθησθε, ἀλλ' ἀναμνησθέντες τῶν ἔργων νομίσατε τὰ σώματα αὐτῶν ὁρᾶν αἰτουμένων ἐμὲ παρ' ὑμῶν σῶσαι.' Patet illud cum ex uerbis 'νομίσατε τὰ σώματα αὐτῶν ὁρᾶν' tum inde, quod Andocides paulo supra docuit, se unum superstitem esse e familia antiquissima.

Ant. *Βδ* 2: 'ἐγὼ δέ, εἰ μέν τι ψεῦδος εἴρηκα, ὁμολογῶ καὶ τὰ ὀρθῶς εἰρημένα προσδιαβάλλειν ἄδικα εἶναι· εἰ δ' ἀληθῆ μέν, λεπτὰ δὲ καὶ ἀκριβῆ, οὐκ ἐγὼ ὁ λέγων ἀλλ' ὁ πράξας τὴν ἀπέχθειαν αὐτῶν δίκαιος φέρεσθαί ἐστι.' In altera protasi exstat id, quod orator falsum, in altera id, quod uerum esse persuasum habet. — Secernendi sunt loci huiusmodi: Lys. XXII 5 accusator unum ex reis frumentariis sic interrogat: 'ἄλλο τι οὖν ἀξιοῖς ἢ ἀποθανεῖν, εἴ τι πεποίηκας παρὰ τοὺς νόμους, ἐφ' οἷς θάνατος ἡ ζημία;' Utrum reus tunc peccauerit necne, orator minime respicit, sed in uniuersum facit, eum commisisse facinus aliquod capitale. Item nullo ueritatis respectu ponitur indeque concluditur XXV 6: 'ἐγὼ δὲ οὐχ ἡγοῦμαι δίκαιον εἶναι οὔτε εἴ τινες τῇ πόλει πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιοι γεγένηνται, ἄλλους τινὰς ὑπὲρ τούτων τιμὴν ἢ χάριν κομίσασθαι παρ' ὑμῶν, οὔτ' εἴ τινες πολλὰ κακὰ εἰργασμένοι εἰσίν, εἰκότως ἂν δι' ἐκείνους τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας ὀνείδους καὶ διαβολῆς τυγχάνειν.' Eodem referendum est And. II 24: 'πείθεσθε οὖν μοι, καὶ ἤδη παύσασθε εἴ τῳ ὑμῶν διάβολόν τι ἐν τῇ γνώμῃ περὶ ἐμοῦ παρέστηκεν.' Silentio non praeteream, hic quidem differentiam inter imperatiuum praesentis et aoristi reperiri, si ita uertimus: 'lasst Euch nun von mir zureden (actio durans) und lasst nunmehr einmal von den Verläumdungen, die etwa bei einem von Euch noch bestehen, ab' (actio momentanea).

Ant. VI 19: 'ὅπου δὲ πρῶτον μὲν αὐτοὶ οἱ κατήγοροι ὁμολογοῦσι μὴ ἐκ προνοίας μηδ' ἐκ παρασκευῆς γενέσθαι τὸν θάνατον τῷ παιδί, ἔπειτα ... ἐναντίον μαρτύρων πολλῶν, καὶ ἀνδρῶν καὶ παίδων, καὶ ἐλευθέρων καὶ δούλων, ἐξ ὧνπερ καὶ εἴ τίς τι ἠδίκηκε, φανερώτατος ἂν εἴη ...' Exemplum complexionis (u. p. 215) cernitur *Γβ* 6: ...'ἐγὼ μὲν οὐδενὶ τρόπῳ φονεὺς αὐτοῦ εἰμί, ὁ δὲ ἀποθανών, εἰ μὲν ἀτυχίᾳ τέθνηκε, τῇ ἑαυτοῦ ἀτυχίᾳ κέχρηται — ἠτύχησε γὰρ ἄρξας τῆς πληγῆς — εἰ δ'

ἀβουλίᾳ τινί, τῇ ἑαυτοῦ ἀβουλίᾳ διέφθαρται.' — Restant duo loci Antiphontei, quorum alter *εἰ* idem quod nostrum 'was das betrifft, dass' ualente conspicuus est: V 85: '*εἰ δὲ δύο ἐξ ἑνὸς ἀγῶνος γεγένησθον, οὐκ ἐγὼ αἴτιος, ἀλλ' οἱ κατήγοροι.'* Ut *Β δ* 9 (u. p. 226) orator recurrit ad id, quod antea copiosius exposuit cf. sententiam antecedentem. — And. I 113 (u. p. 226) similis est alter locus, *Β β* 1: '*ἐγὼ γὰρ ἥκιστα τοιοῦτος ὢν καὶ βουλόμενος εἶναι, εἰ μὴ πολύ γε ἔψευσμαι, ὑπ' αὐτῆς τῆς συμφορᾶς ἠναγκάσθην νῦν παρὰ τὸν ἄλλον τρόπον ὑπὲρ πραγμάτων ἀπολογεῖσθαι, ὧν ἐγὼ χαλεπῶς μὲν τὴν ἀκρίβειαν ἔγνων . . .'* Quod orator minime talis sit atque esse studeat (sc. ut audeat dicere et facere a moribus suis aliena), id non pendet ab eo, utrum opinio de se ipsum deceperit necne; enuntiatum condicionale parenthetice percipiendum est, atque uerti debet: 'ego enim, qui minime talis sum et esse studeo — nisi ualde me decepit de me opinio — ipsa calamitate coactus sum etc.' Recte Cucuelius[1]) monet, hic et *Α δ* 2 (u. p. 227) enuntiatione condicionali aliquid audacius dictum leniri.

Tempus perfectum et praesens in eadem protasi occurrunt And. I 70: '*εἰ δέ τίς τι ὑμῶν ποθεῖ ἢ νομίζει τι μὴ ἱκανῶς εἰρῆσθαι ἢ παραλέλοιπά τι, ἀναστὰς ὑπομνησάτω, καὶ ἀπολογήσομαι καὶ πρὸς τοῦτο.'*

Protasin indicatiuo perfecti formatam saepissime sequitur in apodosi indicatiuus praesentis; apodosis in futuro collocatae exempla apud Lysiam solum, in imperatiuo et coniunctiuo dubitatiuo (III 13) apud Andocidem solum occurrunt; Antiphontis proprium est exemplum apodosis tempore ac modo cum protasi consentientis. Potentialis in apodosi Lysiae et Antiphonti communis est.

§. 4. *εἰ* cum indicatiuo imperfecti.

Etiam in hac classe enuntiatorum condicionalium numerus eorum locorum maximus est, quorum protasi uis magis causalis quam condicionalis inhaeret.

Lysias. XIII 79: '*ἀνάγκη δὲ ἦν στρατηγοῦ ἀνδρὸς ἀκροᾶσθαι, εἴπερ ἔμελλον σωθήσεσθαι.'* Protasi latet affirmatio, cum milites saluos in patriam redire uelle consentaneum sit. XXXI 22: '*καίτοι εἰ μήτηρ . . . ἐνόμιζε τοῦτον κἂν ἀπὸ τεθνεώσης φέρειν ἑαυτῆς, τί χρὴ ὑμᾶς περὶ αὐτοῦ διανοηθῆναι;'* Matrem haud aliter de Philone filio sensisse discimus ex antecedentibus: '*ἐκείνη γὰρ τούτῳ μὲν ἠπίστησεν ἀποθανοῦσαν ἑαυτὴν ἐπιτρέψαι . . .'*

1) 'Essai sur la langue et le style de l'orateur Antiphon' p. 106.

XXXII 13. III 26. — Ad uim concessiuam *εἰ* accedit XIX 18: '... *καὶ εἴ τι ἦν αὐτῷ ἀργύριον, ἀνήλωσεν ἐπιθυμῶν τιμᾶσθαι.*' Ex sequentibus intellegi licet, re uera Aristophanem opibus non caruisse, quas uero illum rei publicae causa consumpsisse orator demonstrat; aduersariis, qui patrem loquentis, socerum Aristophanis, pecuniarum eius submotarum accusauerant, protasi conceditur, Aristophanem non pauperem fuisse ('und zugegeben, er war nicht mittellos'); quominus uertamus 'quotiescunque ei quid pecuniae erat', sensus non obstat, sed ratio grammatica; tunc enim in apodosi indicatiuum imperfecti exspectes, in protasi *εἰ* c. optatiuo iunctum. Res facta conceditur etiam (II) 7. Enuntiatis proprie concessiuis (u. §. 6), uocibus *εἰ καὶ* et *καὶ εἰ* formatis, hos locos propter copulatiuam uim particulae *καὶ* (XIX 18) et quia *καὶ* abest ((II) 7) non adiungam. — In numero irrealium, quae uocantur, sententiarum condicionalium habeat quis XIX 51: '*εἶτα οἱ προσήκοντες ἂν αὐτοῦ ἐν κινδύνῳ ἦσαν τῷ μεγίστῳ, εἰ ἔδει αὐτοὺς πρὸς τοσαύτην διαβολὴν ἀπολογεῖσθαι, μὴ εἰδότας μηδὲν τῶν πεπραγμένων.*' Protasi causa affertur, cur familiares Diotimi in summo sint periculo; protasis non impleta supplenda est ex iis, quae praecedunt: '*εἶτα* sc. *εἰ ἔπαθέ τι Διότιμος πρὶν καταπλεῦσαι δεῦρο, οἱ προσήκοντες*' etc. — (XX) 8: '*ἐγὼ δ' ἡγοῦμαι ἀξίους εἶναι τούτους μηδὲν πάσχειν ὑφ' ὑμῶν κακόν, εἰ ὑμῖν μὲν εὖνοι ἦσαν, ἐκείνοις δὲ οὐκ ἀπηχθάνοντο.*' Vim meram condicionalem protasi deesse negatio *οὐκ* argumento est (cf. And. I 33 p. 233). (VIII) 6. Paulo infra (§ 11) legimus: '*εἰ γὰρ ἃ μετὰ τούτων ἀδικουμένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που καλῶς συνέπραττον*', quem locum Gebauerus[1]) iis adnumerat, ubi *εἰ* ad uim causalem accedit, motus uocula *γάρ*, quam in huiusmodi sententiis frequentissime adhiberi recte idem docet; *εἰ γὰρ* uero etiam occurrit, ubi protasi minime causalis uis inest: Lys. XXII 17 (u. p. 229) XXIV 3. XXIX 2. (II) 45 (u. ib.) etc. Quam ob rem equidem non audeo diiudicare, quid ualeat *εἰ* (VIII) 11, loco, ut ipse Gebauerus concedit, deprauato; nam uerba tradita sensu carent. Varie uiri docti difficultatem loci sanare studuerunt; mihi probatur sententia Buermanni[2]) legentis: '(*καὶ τότε ἔγωγε αὐτῶν κατηγόρουν.*) *εἰ γ' ἄρα μετὰ τούτων δικαζομένῳ μοι μηδὲν ἦν δίκαιον εἰπεῖν, ἦ που καλῶς συνέπραττον*' et haec uerba ut adnotationem lectoris e textu remouenda esse censentis.

1) l. c. p. 71. 2) 'Des Pseudo-Lysias *κατηγορία πρὸς τοὺς συνουσιαστὰς κακολογιῶν*'. Herm. X p. 362.

Andocides. II 7: 'ὃς εἰς τοσοῦτον ἦλθον τῆς ἐμαυτοῦ δυσδαιμονίας ... ὥστ' ἀνάγκην μοι γενέσθαι δυοῖν κακοῖν τοῖν μεγίστοιν θάτερον ἑλέσθαι, ἢ μὴ βουληθέντι κατειπεῖν τοὺς ταῦτα ποιήσαντας οὐ περὶ ἐμοῦ μόνον ὀρρωδεῖν, εἴ τι ἔδει παθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸν πατέρα οὐδὲν ἀδικοῦντα σὺν ἐμαυτῷ ἀποκτεῖναι ...' Polackius[1]) hunc locum in enuntiatis interrogatiuis indirectis duxit; tunc uero pro 'ἔδει' exspectes uel 'δεῖ' uel 'δέοι' secundum leges grammaticas; accedit, quod nusquam uerbum ὀρρωδεῖν cum εἰ iunctum cernitur; potius protasi causa metuendi significatur ('sintemal, da ja eine Strafe unvermeidlich war'), id quod nexui sententiarum minime obstat. Liceat mihi huc referre I 54, ubi plusquamperfectum ui imperfecti praeditum exstat: 'εἰ οὖν τινι ὑμῶν, ὦ ἄνδρες, (ἢ) τῶν ἄλλων πολιτῶν γνώμη τοιαύτη παρειστήκει πρότερον περὶ ἐμοῦ, ὡς ἄρα ἐγὼ ἐμήνυσα κατὰ τῶν ἑταίρων τῶν ἐμαυτοῦ, ὅπως ἐκεῖνοι μὲν ἀπόλοιντο, ἐγὼ δὲ σωθείην — multis ciuibus hanc opinionem insedisse Andocides non ignorabat — ... σκοπεῖσθε ἐξ αὐτῶν τῶν γεγενημένων.'

Apud Antiphontem unum huiusmodi exemplum occurrit, V 61: 'ἐξὸν γὰρ αὐτῷ ἐν ἀγῶνι καὶ κινδύνῳ μεγάλῳ καταστήσαντι μετὰ τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων ἀπολέσαι ἐκεῖνον, εἴπερ προσωφείλετο αὐτῷ κακόν, ... οὐκ ἠξίωσεν, ἀλλ' οὐδ' ἦλθεν ἐπὶ τοῦτον.' Protasis uerti debet: 'si quidem, quoniam illi (Herodi) malum (a Lycino) debebatur h. e. ille malum, poenam accipere debebat.'[2]) Ironice εἰ μὴ adhibetur Δβ 9: 'ὡς δὲ τόνδε τὸν κίνδυνον οὐκ ἀσφαλέστερον τοῦ ἀπὸ τῆς γραφῆς ἡγούμην εἶναι, ἀλλὰ πολλαπλάσιον, εἰ μὴ παρεφρόνουν, διδάξω.' Mente captum se non fuisse orator non ignorabat (cf. Lys. X 20, locum similem, p. 223).

Protasis rem uero rerum statui obstantem continentis exempla fere omnia apodosin in indicatiuo praeteriti collocatam praebent; quae cum forma non differant ab enuntiatis proprie irrealibus quae

1) l. c. p. 65. 2) Minus recte Maetznerus p. 228 uertit: 'si quidem illi malum debebat', cum medium uerbi προσοφείλειν nusquam alibi reperiatur; uersio Maetzneri quadraret in coniecturam Dobraei (Adu. I p. 150): 'εἴπερ προσώφειλέ τι ...', quae uero superuacanea est, cum Dem. XXI 77 'προσωφείλετο' eodem sensu, quo apud Antiphontem, et passiuo quidem usurpetur. Cur offendat Maetznerum notio diuturnitatis, quam Passouius uerbo tribuit, uertens loco Antiphonteo 'längst von einem Strafe verdienen', non intellego, cum etiam Thuc. I 32 et Herod. V 82 eadem notio uerbo insit.

uocantur et iis quidem, quorum apodosis particula ἂν caret, postea demum tractabo. — Hic uero afferendi sunt tres loci, ubi orator modeste concludens potentiali pro indicatiuo praesentis utitur: Lys. VII 14: 'ἐγὼ δ' εἴ τι τοιοῦτον ἔπραττον, πολλὰς ἂν καὶ μεγάλας ἐμαυτῷ ζημίας γενομένας ἀποφήναιμι.' Orator persuasum habet, non se tale quid commisisse, nempe truncum oleae exstirpasse. And. I 57. Ant. *Bδ* 4.

Reliquum est, ut de iis locis disputem, ubi quis sumit, aliquid factum esse, quod utrum euenerit necne respicere omittit. Apud Lysiam ter in eiusmodi protasi subiectum indefinitum est. XXXII 22: 'ὥσπερ διὰ τοῦτο ἐπίτροπος τῶν παιδίων καταλειφθείς, ἵνα ... πενεστάτους ἀντὶ πλουσίων ἀποφήνειε, καὶ ἵνα, εἰ μέν τις αὐτοῖς πατρικὸς ἐχθρὸς ἦν, ἐκείνου μὲν ἐπιλάθωνται, τῷ δ', ἐπεὶ τῶν πατρῴων εἰσὶν ἀνεστερημένοι, πολεμῶσι.' VII 17. Fr. 78, 3. — Ceteri loci figurae complexionis assignandi sunt: XII 57: 'καίτοι τοῦτο πᾶσι δῆλον ἦν, ὅτι εἰ μὲν ἐκεῖνοι δικαίως ἔφευγον, ὑμεῖς ἀδίκως sc. ἐφεύγετε, εἰ δ' ὑμεῖς δικαίως, οἱ τριάκοντα ἀδίκως sc. ἔφευγον.' XXV 14. — Ant. V 23. — Cauendum est, ne in periodis hypotheticis condicionis non seruatae habeatur Lys. VII 37: 'περὶ ἐμοῦ μὲν γὰρ εἰ ἔλεγον, ἃ οὗτος ἐβούλετο, οὐδ' ἂν ἀπολογήσασθαί μοι ἐξεγένετο· τούτῳ δ' εἰ μὴ ὡμολόγουν, οὐδεμιᾷ ζημίᾳ ἔνοχος ἦν.' Altera protasis si deflecteret a ueritate, altera, quae illi opposita sit, cum ueritate consentire deberet; sed neutra actio euenit, orator utramque rem, quae fieri potuit — testes aut contra reum aut pro reo testimonia facere potuerunt — sumit tantum, ut inde, quam dispar periculum ipse et Nicomachus seruis traditis subierint, concludat. Indicatiuus praeteriti c. ἂν alterius apodosis — in altera ἂν supplendum est — est potentialis, qui uocatur, praeteriti cf. Aken. l. c. p. 147. — (IX) 12 (u. p. 215). And. I 137. Ant. V 68. — A prioribus separandum est Ant. *Γδ* 7: 'εἰ δὲ κρείσσων ὢν τὰς χεῖρας κρεισσόνως ἠμύνετο ἢ ἔπασχεν, οὐδ' οὕτω δίκαιος ὑφ' ὑμῶν καταλαμβάνεσθαί ἐστι.' Protasi deest uis mera condicionalis, nam reum robore manuum superiorem efficacius plagas propulsasse quam accepisse inde apparet, quod aduersarius medicum consulere coactus fuit; εἰ idem ualet atque nostrum 'was das betrifft, dass' et res protasi pronuntiata spectat ad id, quod aduersarius dixerat γ 3: 'ὁ μὲν γὰρ ἀκμαζούσῃ τῇ ῥώμῃ τῶν χειρῶν χρώμενος ἀπέκτεινεν· ὁ δὲ ἀδυνάτως τὸν κρείσσονα ἀμυνόμενος' etc. (Lys.) XX 12.

Formarum apodosis nouae in hac classe accedunt indicatiuus

et imperfecti et aoristi cum uocula ἄν; indicatiui futuri in apodosi adhibiti desiderantur exempla.

§. 5. εἰ cum indicatiuo aoristi.

Ut imperfectum protasis adhibebatur tum, cum ponebantur actiones uel durantes, ut Lys. XII 57. And. II 7. Ant. V 61 uel saepius repetitae, ut Lys. XXXII 13, omnino cum describebantur actiones, ita in aoristo actiones huius temporis proprias collocari consentaneum est. Apodosis formarum eadem uarietas quae in antecedente §o animaduertitur.

Etiam hic maior pars exemplorum iis enuntiatis condicionalibus efficitur quorum particula hypothetica uices ἐπεὶ tenet. Lys. XIII 69: 'εἰ γὰρ τούτων ἕκαστος δι' ἓν ἁμάρτημα θανάτου ἠξιώθη, ἦ που τοῦ γε πολλὰ ἐξημαρτηκότος ... δεῖ ὑμᾶς σφόδρα θάνατον αὐτοῦ καταψηφίσασθαι.' Paulo ante (§ 67 et 68) orator explicuit, quomodo unusquisque fratrum Agorati supplicio dignus haberetur. XIII 85: 'τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλ', ὡς ἔοικεν, ἢ ὁμολογεῖν ἀποκτεῖναι, μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ δέ, καὶ περὶ τούτου ἰσχυρίζεσθαι, ὥσπερ, εἰ μὴ ἐπ' αὐτοφώρῳ μέν, ἀπέκτεινε δέ, τούτου ἕνεκα δέον αὐτὸν σώζεσθαι.' Protasi continetur Agorati uera animi sententia, qui illo ipso, quod 'ἐπ' αὐτοφώρῳ', quae uerba in libello accusatorio legebantur, homicidam se deprehensum esse negauit, concessit caedem se fecisse, etsi non in ea ipsa deprehensum; hoc quidem inest in uerbis protasis, quae et apodosis ex mente rei proferuntur. Agoratus quidem ipse sic fere senserit: 'εἰ ἀπέκτεινα μέν, ἐπ' αὐτοφώρῳ δὲ μή sc. ἀπέκτεινα h. e. ἀποκτείνων ἐλήφθην, τούτου ἕνεκα δεῖ με σώζεσθαι', accusator autem 'ἀποκτεῖναι' ut rem grauiorem postponit; participium cum ὥσπερ iunctum ironice usurpatum est, cuius usus exempla congerit Gebauerus[1]). — III 40. XIII 57. — Ironia quaedam protasi subest III 29: 'τῷ γὰρ ἂν δόξειε πιστὸν ὡς ἐγὼ προνοηθεὶς καὶ ἐπιβουλεύων ἦλθον ἐπὶ τὴν Σίμωνος οἰκίαν μεθ' ἡμέραν, μετὰ τοῦ μειρακίου, τοσούτων ἀνθρώπων παρ' αὐτῷ συνειλεγμένων, εἰ μὴ εἰς τοῦτο μανίας ἀφικόμην ὥστε ἐπιθυμεῖν εἷς ὢν πολλοῖς μάχεσθαι' (cf. Ant. Δβ 9 p. 237). — (XX) 16. Irrealem, quam appellant, periodum esse ducas (II) 65: 'εἰ γὰρ στασιάσαντες πρὸς ἀλλήλους βίᾳ παρόντων Πελοποννησίων καὶ τῶν ἄλλων ἐχθρῶν εἰς τὴν αὐτῶν οἷοί τε ἐγένοντο[2]) κατελθεῖν,

1) De hyp. et par. arg. p. 283. 2) Scheibium praef. ed. p. XI codici Palatino lectionem 'ἐγίνοντο' adscribentem errasse demonstrauit Lampros 'Mitteilungen über den Codex Palatinus X 88'. Herm X p. 262.

δῆλον ὅτι ῥᾳδίως ἂν ὁμονοοῦντες πολεμεῖν αὐτοῖς ἐδύναντο.' Ex antecedentibus apparet, protasi factum commemorari, irrealis protasis apodoseos latet in participio '*ὁμονοοῦντες*' nihil aliud ualente nisi '*εἰ ὡμονόουν*'.

And. II 12: '*εἰ τοίνυν μεγάλων ἀγαθῶν αἴτια ὑμᾶς εἰργάσαντο ἐκεῖνοι, μέρος ἐγὼ οὐκ ἂν ἐλάχιστον δικαίως ταύτης τῆς αἰτίας ἔχοιμι.'* Protasi generatim exprimitur, quod antecedente periodo orator accuratius affirmauit; quam ob rem etiam errare mihi uidetur Akenius[1]), qui hoc exemplum in numero eorum habet, ubi *εἰ* c. ind. praet. positum sit pro *εἰ* c. opt., ut de rebus praeteritis agatur. — (IV) 11.

Ant. I 12: '*τὸ αὐτὸ οὖν τοῦτο καὶ ἐμοὶ γενέσθω, εἴπερ ἐμοῦ θέλοντος ἔλεγχον λαβεῖν τοῦ πράγματος αὐτοὶ μὴ ἠθέλησαν δοῦναι.'* Ex periodo a ueritate aliena §i 11 discimus, re uera aduersarios noluisse mancipiis in tormenta datis certum rei documentum praebere. Condicioni non impletae adnectitur periodus hypothetica, cuius protasi uera loquentis sententia aperitur, *Bδ* 4: '*τῆς δὲ διαδρομῆς αἰτίας ταύτης γενομένης, εἰ μὲν ὑπὸ τοῦ παιδοτρίβου καλούμενος διέτρεχεν, ὁ παιδοτρίβης ἂν ⟨ὁ⟩ ἀποκτείνας αὐτὸν εἴη, εἰ δ' ὑφ' ἑαυτοῦ πεισθεὶς ὑπῆλθεν* (cf. *β* 8: '*ὁ δὲ παῖς βουλόμενος προδραμεῖν . . .*'), *αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ διέφθαρται.'*

Eodem modo, quo Lys. VII 14 (u. p. 238), in protasi fingitur res ueritati aduersa, apodosis potentiali loco indicatiui praesentis formatur (Lys.) XV 8. VI 39. IX 11. Ant. *Bδ* 6. *Γδ* 4: '*εἰ ⟨μὲν⟩ γὰρ ὁ μὲν ἄρξας τῆς πληγῆς τύπτειν καὶ μὴ ἀποκτείνειν διενοήθη, ὁ δὲ ἀμυνόμενος ἀποκτεῖναι, οὗτος ἂν ὁ ἐπιβουλεύσας εἴη.'* Sententia fictioni contraria continetur sequentibus: '*νῦν δὲ* sc. *ὡς ὁ ἄρξας τῆς πληγῆς καὶ ὁ ἀμυνόμενος τύπτειν καὶ οὐκ ἀποκτεῖναι διανοηθεὶς ἥμαρτεν, εἰς ἃ οὐκ ἠβούλετο πατάξας.'* Unde patet, alteri (posteriori) tantum protasi uim fictiuam adhaerere; exspectes igitur scriptum esse: '*εἰ γάρ, ἐπειδὴ ὁ ἄρξας . . . τύπτειν καὶ οὐκ ἀποκτείνειν διενοήθη, οὗτος ἂν . . .*'; in scriptura tradita cernitur studium paratacticae rationis dicendi. — Duobus locis Andocideis imperatiuus exstat in apodosi; protases uariis temporibus adhibitis conspicuae sunt: I 32: '*εἰ μέν τι ἠσέβηκα ἢ ὡμολόγηκα ἢ ἐμήνυσα κατά τινος ἀνθρώπων . . . ἀποκτείνατέ με.'* Andocidem fingere aliquid cum rebus ipsis non consentiens intellegitur ex periodo sequente: '*εἰ δὲ οὐδὲν ἡμάρτηταί μοι . . .*' I 23.

1) l. c. p. 147.

'εἰ τοίνυν ἀνέβην ἐπὶ δικαστήριον, ἢ λόγος τις περὶ ἐμοῦ ἐγένετο, ἢ μήνυσίς τις ἐμή ἐστιν ἢ ἀπογραφή . . . ἐλεγχέτω με ὁ βουλόμενος ἐνταῦθα ἀναβάς.' E sententiarum nexu apparet, contrarium eorum, quae orator fingit, accidisse.

Admodum exiguus numerus eorum locorum est, ubi condicio ponitur ab ignorante uerum rerum statum aut non respiciente. Lys. III 42: 'ἀλλὰ δῆλον ὅτι καὶ οἱ τοὺς νόμους ἐνθάδε θέντες, οὐκ εἴ τινες μαχεσάμενοι ἔτυχον ἀλλήλων κατάξαντες τὰς κεφαλάς, ἐπὶ τούτοις ἠξίωσαν τῆς πατρίδος φυγὴν ποιήσασθαι·' Item subiectum protasis indefinitum est Ant. VI 17 (bis). — Protasis actio utrum euenerit necne, orator nescit And. I 50: '... εἰ ἤκουσάς τι τούτου τοῦ πράγματος τοῦ γενομένου, εἰπέ ...' Ant. Δβ 5. Paulo aliter res se habet Δβ 3: 'εἰ γὰρ νῦν διὰ τῆς ἔχθρας τὸ μέγεθος εἰκότως ὑφ' ὑμῶν καταδοκοῦμαι, πρὶν ἐργάσασθαι εἰκότερον ἦν προειδότα τὴν νῦν ὑποψίαν εἰς ἐμὲ ἰοῦσαν, καὶ τῶν ἄλλων εἴ τινα ἔγνων ἐπιβουλεύοντα αὐτῷ, διακωλύειν μᾶλλον ἢ αὐτὸν ἐργασάμενον εἰς ἑκουσίους καὶ προδήλους ὑποψίας ἐμπεσεῖν sc. εἰκότερον ἦν.' Orator minime nescius, uiro interfecto multos inimicos fuisse — id quod §o 6 dicit — utrum nouerit eorum aliquem uitae illius insidiantem necne, non respicit, sed sumit tantum, se talem quem nouisse, unde colligit, ueri similius fuisse, obstitisse se illius consilio. V 61.

Apud eosdem oratores, in iisdem orationibus atque in priore classe enuntiatorum condicionalium factum est exempla inueniuntur particulae εἰ ui nostri 'was das betrifft, daſs' praeditae: Ant. Γγ 3: 'εἰ δὲ ταῖς χερσὶν ἀπέκτεινε καὶ οὐ σιδήρῳ, ὅσον αἱ χεῖρες οἰκειότεραι τοῦ σιδήρου τούτῳ εἰσί, τοσούτῳ μᾶλλον φονεύς ἐστιν.' Orator recurrit ad id, quod aduersarius β 2 contenderat, etsi illius sententiam aliquid mutat, qui interfecisse se aggressorem minime concesserit, sed culpam mortis medico tribuerit. Ant. V 78 (v. p. 226) similis est (Lys.) XX 20.

§. 6. **Enuntiata proprie concessiua, quae particulis aut εἰ καὶ aut καὶ εἰ formantur.**

Godofredus Hermannus, qui primus discrimen inter utrumque genus enuntiatorum concessiuorum intercedere statuit [1]), καὶ εἰ '*etiam si*' explicat, et καὶ ad ipsam condicionem sic refert, ut eam particula adiecta magis incertam fieri dicat: '*etiam tum, si*'. Quare καὶ εἰ usurpari uult de re, quae uera tantum a nobis sumatur, neque de eo, quod uerum esse iudicemus; id enim exprimi parti-

1) Ad Viger. 829 (ed. IV).

culis εἰ καὶ siue Latinorum 'quamquam'; etiam sic εἰ καὶ usurpari tradit, ut non sit 'etsi', sed 'si etiam' i. e. ut καὶ non cum εἰ, sed cum aliquo eorum uerborum, quae sequuntur, coniungi debeat. Hermannum secuti sunt Passouius[1]) et Stallbaumius[2]), qui praeterea hanc legem ponit: 'tironibus tenendum, καὶ εἰ semper habere gradationem, ut sit 'adeo si': εἰ καὶ autem ea gradatione carere atque simpliciter esse 'etsi, quanquam'. Nouam sententiam profert Spitznerus[3]); non sequitur Stallbaumium, qui omnem utriusque dicendi rationis discrepantiam uel sustulerit uel ambiguam certe fecerit. Hermanno id quidem assentitur, primum, εἰ καὶ non semper in unam quasi coalescere notionem, deinde, καὶ εἰ ita dici, ut utraque uocula condicioni adstringatur. Tum uero quod ille affirmauit, καὶ εἰ in id dumtaxat cadere, quod uerum esse sumeremus, hoc a Graecorum more et sermone abesse docet compluribus exemplis ex Homeri et Apollonii carminibus sumptis, ubi particulis καὶ εἰ significatur res, quam loquens ueram esse iudicat, εἰ καὶ res ponitur tantum ut uera. Deinde Spitznerus de iis locis agit, ubi καὶ post εἰ collocata aduerbiis modi, loci, temporis aut aliis partibus orationis praemissa est: hic εἰ particula sola condicioni inseruit; καὶ condicionem nouo additamento auctam angustioribus finibus includit; εἰ καὶ idem ualere censet, quod uernaculi sermonis particulas 'wenn auch': condicionem uel tum locum obtinere, si quid obstaculum nouum ei obiciatur; contra καὶ εἰ plerumque conuenire cum uernaculo 'auch wenn' et ab εἰ καὶ eo differre, quod utraque particula condicionem positam declaret eaque de causa neutra ad aliud quidquam pertineat nisi ad ipsum uerbum, in quo condicio spectetur. — Sententiae Spitzneri Langium id offendit, quod ille censuerat, uocula καὶ uim tantum condicionis augeri, neglegens, uoce, ad quam referendum esset καί, sententiam ei, quae continetur apodosi, contrariam excitari. Atque Langius[4]) ita inter εἰ καὶ et καὶ εἰ distinguit: 'εἰ καὶ unterscheidet sich also von καὶ εἰ dadurch, dafs jenes nicht notwendig koncessiv zu fassen ist' — comprobatur hoc, ut alios locos omittam, And. III 37: 'ὧν εἰ καὶ νῦν ἐπιθυμεῖτε, ταῦτα κατεργάσασθε.' Accuratius legentem, quae antecedunt, fugere non potest, uim concessiuam, quae offertur uocibus εἰ καί, a protasi abiudicandam esse; antecedunt autem haec: 'ἦν γάρ ποτε χρόνος, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτε τείχη καὶ ναῦς οὐκ ἐκεκτήμεθα· γενομένων δὲ τούτων τὴν ἀρχὴν ἐποιησάμεθα τῶν

1) In Lex. I 630 sq. et 1150. 2) ad Plat. Apol. XX p. 73 ex edit. alt. 3) exc. XXIII ad Hom. Il. *N* 316. 4) l. c. p. 469 (163).

ἀγαθῶν.' Opponitur tempus praesens praeterito, quo Athenienses, ubi primum moenia et naues comparassent, fundamenta bonorum iecisse Andocides dicit; adhortatur deinde audientes, ut, si etiam tunc — *καὶ* igitur cum *νῦν* cohaeret — desiderio bonorum illorum teneantur, sibi eadem pariant, quibus usi patres tantam auctoritatem consecuti sint —, 'dieses (sogar wenn, selbst wenn) natürlich immer'[1]); ferner dadurch, dafs dort der koncessive Charakter nicht auf dem vergleichenden *καί*, sondern auf dem verglichenen Worte beruht, hier dagegen geradezu auf dem steigernden *καί*.'

Videamus, num hoc, quod Langius de Homeri carminibus statuit, confirmetur usu trium oratorum.

I. Enuntiata concessiua particulis *εἰ καὶ* formata:

1) Protasis temporis praesentis est: Ant. V 91: '*καίτοι οὔπω ὑμῖν [τοῖς] ἐξαπατηθεῖσι μετεμέλησεν, εἰ καὶ πάνυ τι χρὴ τούς γε ἐξαπατῶντας ἀπολωλέναι.*'[2]) Sententia apodosi aduersa excitatur particula *καὶ* ad uerbum *χρὴ* pertinente, quod augetur etiam aduerbio *πάνυ*; exspectes iudices nunquam paenituisse puniendi eos, qui ipsos decepissent, cum ualde necessarium sit eos condemnari; tamen illos nondum clementiae paenituit. — Perfectum praesens in protasi legitur Lys. XIX 1: '*ἀνάγκη οὖν, εἰ καὶ μὴ δεινὸς πρὸς ταῦτα πέφυκα, βοηθεῖν τῷ πατρὶ καὶ ἐμαυτῷ οὕτως ὅπως ἂν δύνωμαι.*'

2) Protasis perfecti est: Lys. XXXII 11: '. . . *ἡ μήτηρ . . . ἱκέτευε συναγαγεῖν αὐτῆς τὸν πατέρα καὶ τοὺς φίλους, εἰποῦσα ὅτι, εἰ καὶ πρότερον μὴ εἴθισται λέγειν ἐν ἀνδράσι, τὸ μέγεθος αὐτὴν ἀναγκάσει τῶν συμφορῶν περὶ τῶν σφετέρων κακῶν δηλῶσαι πάντα πρὸς ἡμᾶς.*' Vocula *καὶ* referenda est ad uerba '*μὴ εἴθισται*', a quibus quod disiuncta est uocabulo, non debet offendi cf. Il. XIII 57:

> '*τῷ κε καὶ ἐσσύμενόν περ ἐρωήσαιτ' ἀπὸ νηῶν*
> *ὠκυπόρων, εἴ καί μιν Ὀλύμπιος αὐτὸς ἐγείρει.*'

3) Protasis imperfecti est: (Lys.) XX 8: '*τῶν γὰρ λεγόντων ἐναντία ἐκείνοις οἱ μὲν ἔφευγον οἱ δὲ ἀπέθνησκον, ὥστ' εἴ τις καὶ ἐβούλετο ἐναντιοῦσθαι ὑπὲρ ὑμῶν, τὸ δέος καὶ ὁ φόβος τῶν πεπονθότων ἀπέτρεπε πάντας.*' *καὶ* cum uerbo '*ἐβούλετο*' sensu consociandum exspectationem excitat, talem uirum non impeditum esse, quominus obsisteret. Dubitarit quis, an hic protasis concessiua accipienda sit, ubi ipsae particulae concessiuae non con-

1) Recte adnotat Langius: 'selbstverständlich abgesehen von dem freilich meist nicht erkannten Falle, dafs *καὶ* nur zur kopulativen Verbindung des *εἰ*-Satzes mit einem vorhergehenden Satze dient', uelut Lys. XXXII 13 etc. 2) Sic legendum mihi uidetur cum Iernstedtio.

iunctae sunt; hanc dicendi rationem non singularem esse argumento est Hom. Od. XI 356:

'εἴ με καὶ εἰς ἐνιαυτὸν ἀνώγοιτ' αὐτόθι μίμνειν ...'.

Propter formam apodosis enuntiatis irrealibus, quae uocantur, attribuas Lys. VII 16: 'ὥστε εἰ καὶ τὰ μέγιστα εἰς ἐμὲ ἐξημάρτανον, οὐκ ἂν οἷόντε ἦν δίκην με παρ' αὐτῶν λαμβάνειν.' Item uero atque XIX 51 (v. p. 236) protasis ueritati contraria supplenda est ex antecedentibus: 'εἰ ἐξέκοπτον τὸν σηκόν.' And. I 21.

4) Protasis aoristi est: Lys. VII 18 item accipiendum est atque VII 16 (v. paulo supra); accedunt Ant. *Αγ* 2. 3. — *Αβ* 10: 'ἀπολύεσθαι δὲ ὑφ' ὑμῶν, εἰ καὶ εἰκότως μὲν ὄντως δὲ μὴ ἀπέκτεινα τὸν ἄνδρα, πολὺ μᾶλλον δίκαιός εἰμι.' A prioribus locus hic eo diuersus est, quod concessiua uis partem tantum protasis complectitur, cum demens sit orator dicens: 'etsi re uera uirum non interfeci, a uobis absolui me oportet' pro 'sin re uera uirum non interfeci etc.' Prior igitur tantum pars concessiua est, cum uerba 'καὶ εἰκότως sc. ἀπέκτεινα τὸν ἄνδρα' necessitati liberandi sint opposita. Sensum loci recte effert Kohmius[1]) uertens: 'Mag ich auch der Wahrscheinlichkeit nach, wie die Gegner behaupten, der Mörder sein, so bin ich es doch in Wirklichkeit nicht und daher mit um so gröſserm Rechte freizusprechen.' Oratori igitur scribendum fuit: 'εἰ καὶ εἰκότως τὸν ἄνδρα ἀπέκτεινα, ὄντως δὲ οὐκ ἀπέκτεινα ἐκεῖνον· δι' ὃ πολὺ μᾶλλον δίκαιός εἰμι ὑφ' ὑμῶν ἀπολύεσθαι.' Parem dicendi breuitatem neque apud Lysiam neque apud Andocidem repperi.[2]) Ceterum artem sophistarum redolet distinctio inter 'εἰκότως ἀποκτείνειν' et 'ὄντως ἀ.', quae etiam *γ* 8, *δ* 10 occurrit. — *Γγ* 2. 5.

Sententia Hermanni censentis, εἰ καὶ usurpari de iis rebus, quas ueras esse iudicemus, confirmatur Ant. V 91. Lys. XIX 1. XXXII 11; obstant Lys. VII 16. 18. (XX) 8. And. I 21. Ant. *Αγ* 2. 3. *Γγ* 5, ubi de sumptis tantum rebus agitur.

II. Enuntiata concessiua particulis καὶ εἰ formata:

1) Protasis temporis praesentis est: Lys. XVI 2: 'ἐγὼ γὰρ οὕτω σφόδρα ἐμαυτῷ πιστεύω, ὥστ' ἐλπίζω καὶ εἴ τις πρός με τυγχάνει ἀηδῶς ἢ κακῶς διακείμενος, ἐπειδὰν ἐμοῦ λέγοντος ἀκούσῃ περὶ τῶν πεπραγμένων, μεταμελήσειν αὐτῷ καὶ πολὺ βελτίω με εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον ἡγήσεσθαι.' Orator tanta innocentiae suae fiducia affectus est, ut speret aliquem, postquam ipsum de rebus gestis per-

1) 'Krit.-exegetische Studien zu Antiphon' Z. f. ö. G. 1884, p. 81.
2) Cf. quod Blass. l. c. p. 161 de prima tetralogia statuit: 'd. Gedanken sind auf knappen Raum zusammengedrängt.'

orantem audiuerit, animum mutaturum esse uel tum, si infestus sibi sit; sententia apodosi aduersa in eo cernitur, quod a tali uiro animi mutatio minime exspectetur; *καὶ* hic ad augendam condicionem ualet ('sogar, selbst wenn'); quod Kruegerus[1]) docet: 'Bei *καὶ εἰ* denkt man den Hauptsatz als unabweislich bei jeder Bedingung, selbst bei der ausgesprochenen, die als äufserste erscheint', optime quadrat in locum Lysiacum, nam condicio, quae magis quam simultas alicuius reo nocere poterat, cogitari ulla nequit. (XIV) 1. Ant. VI 7.

2) Protasis temporis praeteriti est: hic bis occurrit *οὐδ' εἰ*, a *καὶ εἰ* non diuersum, nisi quod negatio ex apodosi anticipatur; nam (Lys.) XX 18: '*τῷ μὲν γὰρ οὐδ' εἴ τις εἶχε μαρτυρίαν, εἶχε μαρτυρεῖν διὰ τὸ δέος τὸ τῶν κατηγόρων, τοῖς δὲ καὶ τὰ ψευδῆ δεδοικότες ἐμαρτύρουν.*' Negatio ad apodosin referenda est, quoniam orator dicit: 'etiam tum, si quis testimonium habebat, Polystrato adesse non sustinebat . . .' Negatio in apodosi iteratur Lys. VII 5: '*νομίζω γὰρ τοῦ μὲν προτέρου χρόνου, οὐδ' εἰ πάλαι ἐνῆσαν μυρίαι, οὐκ ἂν δικαίως ζημιοῦσθαι.*'

3) Protasis aoristi est: Lys. XIX 37: '*πρὸς δὲ τούτοις ἐνθυμεῖσθε, ὅτι καὶ εἴ τις μὴ κτησάμενος ἀλλὰ παρὰ τοῦ πατρὸς παραλαβὼν τοῖς παισὶ διένειμεν, οὐκ ἐλάχιστα ἂν αὐτῷ ὑπέλιπε.*'[2]) Quid sentiat orator, bene explicat Frohbergerus: 'Selbst wenn einer durch Erbschaft zu Gelde gekommen ist und nicht durch eigene Thätigkeit (in welchem Falle man noch zäher am Erworbenen hängt), pflegt man bei der Ausstattung der Söhne sich einen ansehnlichen Teil des Vermögens zu reservieren, um nicht von der Gnade derselben abzuhängen.'

Contra Hermanni praeceptum *καὶ εἰ* de re, quae ut uera praedicatur, usurpatur Ant. VI 7: '*καὶ οὐκ ἐλέγξαντες, εἴ τι ἀδικῶ, δικαίως με βούλονται τιμωρεῖσθαι, ἀλλὰ διαβαλόντες, καὶ εἰ μηδὲν ἀδικῶ, ζημιῶσαι καὶ ἐξελάσαι ἐκ τῆς γῆς ταύτης.*' Orator insontem se esse persuasum habet.

1) l. c. §. 65, 5. 15. 2) Codicum scripturam '*ὑπέλιπε*' mutauit Rauchensteinius eoque auctore Frohbergerus in '*ὑπέλειπε*', secundum codicem Palatinum; recte uero monet Fuhrius, neque Lampron neque Schoellium, recentissimos Palatini collatores, mentionem facere lectionis illius a uulgata alienae. Cur aoristum reiciamus, eo minus causae est, cum oratores in enuntiatis iteratiuis, quorum hic exstat exemplum, aoristo uti solere ipse Frohbergerus doceat; idem in protasi imperfectum necessarium ducit, cum protasis in eiusmodi enuntiationibus semper optatiuo aut indicatiuo imperfecti formetur. Per se autem, qua re prohibeamur, quominus aoristum protasis sicut apodosis gnomicum ducamus, non intellego; seruo igitur cum Scheibio scripturam traditam '*διένειμεν*'.

Con-

Apodosis.	Ind. (Inf.) Praes.	Ind. (Inf.) Fut.	Imperf.
εἰ cum Indicatiuo Praesentis.	Lys. III 4. VII 1. 8. 17. 35. X 13 (2). 20. XII 34. XIII 75. 84. XVI 18. XXII 1—2. XXV 2. 16. XXVI 1. 3. XXVII 13. 15. XXX 17 (2). 21. Erot. 231 C. 233 D. — (VI) 41. (IX) 10. (XIV) 1. 11. 39. (XV) 9. (XX) 12. 20. 21. 30 (2). And. I 26. 56. 113. 139. 140. II 1 (2). 2. 17. 22 (2). 24. 26. III 16. 40. — (IV) 12. 34. 38. 42. Ant. I 1 (2). 12. 15. 24. V 37. 51. 64. 66. 78. VI 7. 9. 14. 17 (3). 32. *Αγ* 9 *δ* 2. *Ββ* 5 *γ* 8 (2) *δ* 4. 9.	Lys. XVI 2. XVII 7. XXV 2. 18. XXXI 2. (II) 22. (VI) 33. (IX) 12. (XIV) 19. And. I 24. 63. — (IV) 5. 31. 32. Ant. VI 23.	Lys. IV 5. — (XV) 5. And. I 22. Ant. V 48. *Αβ* 3.
εἰ cum Indicatiuo Futuri.	Lys. III 37. X 22 (2). XII 74. XIII 93. XVIII 15 (2). XXI 24 (2). 25. XXIV 13. XXVI 9. XXVII 13. XXIX 4. 5. XXX 16 (2). 32. XXXI 24 (2). XXXIV 11. — (VI) 13 (2). (XIV) 11. 17. 23 (2). 25. 31. (XV) 2. 8. (XX) 10. 34. And. I 102. III 21. 36. — (IV) 36. Ant. VI 29.	Lys. XII 11. 35. 70. 85. 90 (2). XXII 17. XXIV 3. XXVII 1. 7. XXIX 2. XXXII 25. XXXIV 6. — (II) 22. 32 (2). 45. (VIII) 1. (XX) 32. 35. And. I 104. 123. 149.	Lys. XXXIV 2. And. I 53.
εἰ cum Indicatiuo Perfecti.	Lys. IV 19. VII 5. XIII 92. XIX 1. XXII 5. XXIV 21. XXV 6 (2). XXVI 7 (2). Erot. 231 E. 233 C. And. I 33. 130. Ant. V 85. *Ββ* 1. *δ* 2 (2).	Lys. XXII 2. XXXII 11. — (IX) 12.	—
εἰ cum Indicatiuo Imperfecti.	Lys. XII 88. XXV 14. XXXI 22. — (II) 7. (XX) 8. 12. And. I 137. Ant. *Γδ* 7.	—	Lys. VII 17. 37. XII 57 (2). XIII 79. XXXII 13. — (VIII) 6. 11 (?). (XX) 8. 18. Ant. V 23. 61. *Αβ* 9.
εἰ cum Indicatiuo Aoristi.	Lys. XII 36. XIII 69. 85. XXIX 4. XXX 32. — (VIII) 8. (XIV) 17. 31. And. III 34. Ant. I 12. VI 17 (2). *Αβ* 10. *Γγ* 3. 5.	Lys. XIII 57. (And.) IV 32.	Lys. I 44. III 40. VII 18. — (XX) 16. Ant. V 61. *Αβ* 3. 5. *γ* 3.

ɔectus.

p. c. ἄν.	Aor.	Aor. c. ἄν.	Perf.	Opt. c. ἄν.	Opt.	Imperat.	Coni.
—	Lys. XIII 75. Ant. V 91. *Γγ* 4.	—	—	Lys. XII 31. XVI 17. XIX 35. XXII 18. (IX) 2. And. II 3. Ant. V 16. *Αα* 10.	Lys. XIX 38.	Lys. XIX 53. XXXI 14. Erot. 234 C. — (XX) 11. And. I 23. 33. 70. 120. III 37. 40 (2). Ant. V 64. *Αβ* 8. *Γβ* 6.	And. III 13.
—	—	—	—	Lys. III 43. VII 41. X 10. XII 83. XIII 94. XXII 17. XXXI 29. — (XV) 3. (XX) 19. 36. Ant. V 90. *Αβ* 4. *Γδ* 3.	—	(Lys.) II 45. And. I 103.	—
—	And. I 113.	—	Ant. *Γβ* 6 (2).	Lys. Erot. 232 B. Ant. V 16. VI 19.	—	And. I 32. 70. II 24.	And. I 148. III 13.
ys. VII 16. . Plusq. 20. IX 51. ɩnd. I 21. ɩnt. V 68.	Lys. XIX 18. Fr. 78, 3. And. II 7.	Lys. VII 20. 37.	—	Lys. VII 14. XXV 14. XXVIII 3. And. I 57. Ant. *Βδ* 4.	—	And. I 54 (Plusq.).	Lys. III 26. XXXII 22.
(Lys.) II ɜ5.	Lys. III 29. 42. Ant. *Γγ* 2.	Lys. XIX 37. Ant. *Αγ* 2.	Ant. *Βδ* 4.	Lys. XXXI 29. 31. — (VI) 39. (IX) 11. (XV) 8. (XX) 19. 36. And. II 12. 27. — (IV) 11. Ant. *Βδ* 6. *Γδ* 4.	—	And. I 23. 32. 50. Ant. I 12.	—

De numero exemplorum, quae in singulis enuntiatorum condicionalium generibus apud singulos oratores occurrunt, doceat haec tabula:

Lysias saepissime utitur	εἰ c. ind. fut.:	42	(65)[1]	locis;
sequitur	εἰ c. ind. praes.:	40	(58)	„
„	εἰ c. ind. imperf.:	21	(28)	„
„	εἰ c. ind. perf.:	15	(16)	„
„	εἰ c. ind. aor.:	14	(24)	„
	Sa.	132	(191)	locis.

Andocides saepissime utitur	εἰ c. ind. praes.:	27	(34)[2]	locis:
sequitur	εἰ c. ind. fut.:	8	(9)	„
„	εἰ c. ind. perf.:	8	(8)	„
„	εἰ c. ind. aor.:	6	(8)	„
„	εἰ c. ind. imperf.:	5	(5)	„
	Sa.	54	(64)	locis.

Antiphon[3]) saepissime utitur	εἰ c. ind. praes.:	22	locis;
sequitur	εἰ c. ind. aor.:	5	„
„	εἰ c. ind. perf.:	3	„
„	εἰ c. ind. imperf.:	3	„
„	εἰ c. ind. fut.:	2	„
	Sa.	35	locis.

In tetralogiis saepissime occurrit	εἰ c. ind. praes.:	12	locis;
sequitur	εἰ c. ind. aor.:	11	„
„	εἰ c. ind. perf.:	5	„
„	εἰ c. ind. imperf.:	3	„
„	εἰ c. ind. fut.:	2	„
	Sa.	33	locis.

Contemplanti hanc tabulam primo obtutu apparet, quam raro Antiphon protasin collocauerit in tempore futuro, discedens hac re cum ab Andocide, apud quem numerus eius modi periodorum tertiam fere partem locorum per εἰ c. ind. praes. formatorum efficit, tum a Lysia, qui εἰ c. ind. fut. frequentius etiam quam εἰ c. ind. praes. usurpat. — Inter Antiphontis I., V., VI. orationem et tetralogias idem ordo generum ualet, eo tantum discrimine, quod tetralogiae multo maiore numero εἰ c. ind. aor. praebentium locorum, multo minore exemplorum, quorum protasis exhibet εἰ c. ind. praes.,

1) Additis locis orationum spuriarum. 2) Additis locis orationis IV. 3) Orr. I. V. VI.

quam ceterae orationes conspicuae sunt. — De uariis modis ac temporibus, quorum singulae apodoses sunt, hoc dicendum est: ubi protasis habeat εἰ c. ind. praes., longe praeualere locos, quorum apodosis eodem atque protasis modo et tempore formatur; idem quadrat in εἰ c. ind. fut., exceptis huiusmodi enuntiatis: 'ἀγανακτῶ, δεινόν ἐστιν, εἰ τοῦτο ποιήσεις', ubi quidem protasis condicionalis munere obiecti aut subiecti sententiae fungatur, quae enuntiata infra accuratius tractabo. Etiam ubi utitur εἰ c. ind. perf. Lysias conclusionem facit plerumque indicatiuo praesentis, quem Antiphon saepius in modum potentialem uertit; apud Andocidem duobus indicatiui praesentis exemplis opponuntur una apodosis in indicatiuo aoristi, tres in imperatiuo positae, quo modo Andocides omnino frequenter utitur in apodosi, nempe 12×, contra Lysias 3× tantum, Antiphon 4×. — Congruentiam modorum ac temporum inter protasin et apodosin seruare studet Lysias particulam εἰ cum tempore historico coniungens, exceptis rursus sententiis non proprie hypotheticis (u. supra εἰ c. fut.), ubi indicatiuus praesentis uel potentialis locum habet; minus Andocides, qui conclusionem crebrius potentiali et imperatiuo efficit; etiam Antiphon indicatiuum temporis historici rarius adhibet quam alia tempora ac modos. — Optatiuus solus in apodosi exstat tantum apud Lysiam, coniunctiuus dubitatiuus et prohibitiuus tantum apud Andocidem, Antiphon indicatiuo perfecti in apodosi usurpato insignis est. — Quaerenti quaenam ratio intercedat inter praepositiua et postpositiua enuntiata condicionalia, respondeat haec tabula:

	Protasis praecedit.	Prot. non praec.
Lysias:	76	56
Pseudolys.:	33	26
Andoc.:	37	17
Pseudoand.:	6	4
Antiphon:	46	22

Inde cognoscitur, ordinem praepositiuum, qui sit naturalis atque consentaneus, praeualere apud omnes tres oratores, etsi ordinis postpositiui exempla paulatim augentur. —

Caput II.

εἰ cum indicatiuo temporis historici in condicione non impleta.

§. 7. De uariis huius classis enuntiatorum condicionalium formis.

Particula εἰ cum indicatiuo iuncta significari posse condicionem, quam uero rerum statui non respondere loquens persuasum habet, e numero haud exiguo locorum allatorum satis puto intellegi. Hac quidem §o omnia ea enuntiata condicionalia complectar, ubi condicio non impleta in indicatiuo imperfecti, aoristi, plusquamperfecti collocata cernitur. Secernendos hos locos a prioribus, id quod iure quis miretur, existimaui quasi morem gerens sententiae uulgatae, qua periodi hypotheticae in protasi εἰ cum indicatiuo temporis historici, in apodosi indicatiuum temporis historici cum ἂν exhibentes irreales uocari solent significatione minus recta, cum etiam condicionem alio tempore prolatam ueritati repugnare posse uiderimus. At Akenus docuit, in enuntiatis proprie irrealibus praeterita nihil nisi absolutam irrealitatem exprimere; aduersarius exstitit Koppinus[1]), probabiliter demonstrans, praeterita ut alias etiam hic res praeteritas declarare, irrealitatem concludi demum e nexu sententiarum. Constat autem imperfectum de iis actionibus usurpari, quae durant per aliquod temporis spatium aut iterantur; saepe imperfectum etiam descriptioni inseruit, cum aoristo significetur, actionem aut uno temporis momento aut semel accidere aut incipere aut omnino factam esse; hanc quidem utriusque temporis uim etiam in enuntiatis hisce ualere demonstrare studet Baeumleinius[2]) dicens, 'dafs Imperf. und Aorist ohne Rücksicht, ob die Handlung in oder vor die Gegenwart falle, jenes für die dauernde, im Werden erscheinende, dieser für die geschlossene, in einem Moment abgethane Handlung stehe'; falsum esse iudicat id discrimen inter utrumque tempus statutum, quo in imperfecto existimentur eae collocari actiones quae praesentes, in aoristo, quae praeteritae loquenti uideantur esse. Sententia Baeumleinii confirmatur Homeri carminibus, apud quem 'imperfectum de re praesenti in protasi nunquam adhibitum est..., est autem imperfectum positum, quia per longius temporis spatium res perdurat'.[3]) Non obstat, quod imperfectum de rebus

1) Zeitschr. f. d. Gymn.-W. 1878, p. 1sqq., p. 97sqq. 2) Untersuchungen über d. griech. Modi, p. 97sq. 3) Lilie: 'de locutionum hypotheticarum usu Homerico', p. 17.

usque ad praesens tempus permanentibus dictum est haud raro, quia tum imperfectum simul tempus praeteritum comprehendit. Quaeritur, num etiam apud oratores, quos tractandos mihi proposui, exempla reperiantur, ubi imperfectum ad res praeteritas pertinet et eas quidem, quae imperfecto proferri solere supra commemoraui. Minime desunt eiusmodi exempla.

I. Protasis et apodosis tempore consentiunt. Lys. XIII 36: 'εἰ μὲν οὖν ἐν τῷ δικαστηρίῳ ἐκρίνοντο, ῥᾳδίως ἂν ἐσῴζοντο'. De rebus non praesentibus, sed de factis absolutisque agi, argumento sunt ipsius oratoris uerba ineunte §o 43: 'οὗτοι μὲν τοίνυν ... ὑπ' Ἀγοράτου ἀπογραφέντες ἀπέθανον.' Tamen imperfecto haud inepte utitur orator, qui totus et mente et animo in tempus quaestionis illius habitae insistat, ut breuiter dicam, qui describat. Actiones durantes uel iteratae imperfecto significantur Lys. XXV, 19: 'καὶ εἰ μὲν οἱ τριάκοντα τούτους μόνους ἐτιμωροῦντο, ἄνδρας ἀγαθοὺς καὶ ὑμεῖς ἂν αὐτοὺς ἡγεῖσθε.' Actiones temporis praesentis esse refutatur eo, quod sequitur: 'νῦν δέ, ὅτι ὑπὲρ τῶν ἐκείνοις ἡμαρτημένων τὸ πλῆθος κακῶς ποιεῖν ἠξίουν, ἠγανακτεῖτε ...' XII 52. XIII 28. XXXII 23. Pro imperfecto apodosis participium praesentis legitur I 46: 'ἔπειτα παρακαλέσας αὐτὸς μάρτυρας ᾐσέβουν, ἐξόν μοι, εἴπερ ἀδίκως ἐπεθύμουν αὐτὸν ἀπολέσαι ('hätte ich mich mit der Absicht getragen ihn ... zu töten'), μηδένα μοι τούτων συνειδέναι;' — Actionem fictam et conclusam durantes percipere non licet I 38: 'εἰ μὲν γὰρ λόγων εἰρημένων ἔργου δὲ μηδενὸς γεγενημένου μετελθεῖν ἐκέλευον ἐκεῖνον, ἠδίκουν ἄν.' Confugere hic debemus ad id, quod Baeumleinius[1]) confitetur: 'dafs selbst im Attischen der Unterschied zwischen Imperf. und Aorist ..., obwohl derselbe als das Regelmäfsige festgehalten werden mufs, nicht streng durchgeführt ist, was sich namentlich ziemlich häufig an Verben wie λέγειν, ἐρωτᾶν, ἀποκρίνεσθαι, αἰτεῖν, κελεύειν und ähnlichen bestätigt'. Ceterum hic quoque actio praeterita fingitur et efficitur, quoniam mente supplendum est: 'νῦν δὲ οὐκ ... ἐκέλευον, δι' ὃ οὐκ ἠδίκουν.' Item res se habet X 2: 'ἐγὼ δ', εἰ μὲν τὸν ἑαυτοῦ sc. πατέρα με ἀπεκτονέναι ᾐτιᾶτο, συγγνώμην ἂν εἶχον αὐτῷ τῶν εἰρημένων.' Agitur de rebus praeteritis cum ob antecedentia: 'ἐν ἐκείνῳ γὰρ τῷ ἀγῶνι τὸν πατέρα μ' ἔφασκεν ἀπεκτονέναι τὸν ἐμαυτοῦ' tum quia adiungitur haec periodus irrealis: 'οὐδ' εἴ τι ἄλλο τῶν ἀποῤῥήτων ἤκουσα, οὐκ ἂν ἐπεξῆλθον αὐτῷ' ... Si

1) l. c. p. 98.

actionem 'αἰτιᾶσθαι' durantem ducimus, idem ualere debet de uerbo 'ἤκουσα sc. αὐτὸν αἰτιασάμενον'; in apodosi 'συγγνώμην ἔχειν' nihil aliud est nisi 'οὐκ ἐπεξέρχεσθαι'. Tamen Lysias alteram periodum in altero tempore posuit. Item imperfectum pro aoristo legitur III 33. VII 12. XXII 12. (XV) 2. (XX) 16. — Exemplum imperfecti de rebus usque ad praesens tempus permanentibus adhibiti habemus VII 16: 'πῶς δ' οὐκ ἂν ἦν ἀθλιώτατος ἀνθρώπων ἁπάντων, εἰ τοὺς ἐμαυτοῦ θεράποντας μηκέτι δούλους ἔμελλον ἕξειν ἀλλὰ δεσπότας τὸν λοιπὸν βίον, τοιοῦτον ἔργον συνειδότας;' sententia contraria suppleri debet haec: 'οὐκ... ἔμελλον, δι' ὃ οὐκ ἦν οὐδ' εἰμὶ ἀθλιώτατος ἀνθρώπων ἁπάντων.' Item actio apodosis non praeteritum solum tempus continet VII 36: '... φανερὸν οἶμαι εἶναι ὅτι, εἰ Νικομάχου ἐξαιτοῦντος τοὺς ἀνθρώπους μη παρεδίδουν, ἐδόκουν ἂν ἐμαυτῷ ξυνειδέναι'· ('ich würde mir damals als Mitschuldiger vorgekommen sein und mir dies auch jetzt noch zu sein scheinen'.) Protasis uero ad tempus praesens non pertinet, cf. sequentia: 'ἐπειδὴ τοίνυν ἐμοῦ παραδιδόντος οὗτος παραλαβεῖν οὐκ ἤθελε...' — Nihil obstat, quominus etiam protasis actio simul cum praeterito tempus praesens complectatur, uelut (XX) 27: 'ὥστ' εἰ μὴ εὔνους ἦν τῇ πόλει καὶ ὑμῖν' sc. τότε ἐπεὶ τὴν ἐπιστολὴν ἔδωκεν ἀποδοῦναι ἐμοὶ καὶ νῦν, 'οὐκ ἄν ποτε τοιαῦτα ἐπέστελλεν' cf. XII 32. 48. XXIII 15. XXXIII 4. —

Haec quidem de Lysia; apud Andocidem duo tantum exempla repperi, ubi condicio et conclusio imperfecto pronuntiatae temporis praeteriti sunt, I 114: 'εἰ γὰρ ἐβουλέσθην με ἀπολλύναι τὼ θεώ, ἐχρῆν δήπου καὶ μὴ θέντα με τὴν ἱκετηρίαν ὁμολογῆσαι, ἀλλ' οὔτε ὑπήκουσα οὔτε ἔθηκα.' Ceterum actiones durant, imperfectum igitur locum habet. II 7. — Antiphontis hi loci huc referendi sunt: V 32: 'εἰ μὲν γὰρ ἐγὼ ἐκέλευον αὐτὸν στρεβλοῦν ὡς οὐ τἀληθῆ λέγοντα, ἴσως ἂν ἐν αὐτῷ τούτῳ ἀπετρέπετο μηδὲν κατ' ἐμοῦ καταψεύδεσθαι, νῦν δὲ αὐτοὶ ἦσαν' sc. οὐκ ἐγὼ ἦν 'καὶ βασανισταὶ καὶ ἐπιτιμηταὶ τῶν σφίσιν αὐτοῖς συμφερόντων.' Item atque Lys. XIII 36 (v. p. 251) orator cogitatione uersatur in tempore praeterito; etiam in sequentibus imperfecto utitur, quia narrat ac describit, demum §. 34 aoristis res gestas comprehendit. VI 46. — Actio protasis usque ad praesens tempus permanet V 13: 'καίτοι ἐμοὶ εἰ μηδὲν διέφερε στέρεσθαι τῆσδε τῆς πόλεως, ἴσον ἦν μοι καὶ προσκληθέντι μὴ ἐλθεῖν etc.' — Cur non aoristus usurpatus sit, nescire me confiteor VI 9: 'ἵνα μὲν ἐξῆν αὐτοῖς, εἴ τι ἠδίκουν ἐγὼ τὴν πόλιν ἢ ἐν χορηγίᾳ ἢ

ἐν ἄλλοις τισίν, ἀποφήνασι καὶ ἐξελέγξασιν ἄνδρα τε ἐχθρὸν τιμωρήσασθαι καὶ τὴν πόλιν ὠφελῆσαι, ἐνταῦθα μὲν οὐδεὶς πώποτε οἷός τε ἐγένετο...', quia notio imperfecti propria protasi non subest.

II. Apodosis indicatiuo aoristi formatur: Lys. I 31: 'καίτοι δῆλον ὅτι, εἴ τινα εἶχε ταύτης μείζω τιμωρίαν ἐπὶ ταῖς γαμεταῖς, ἐποίησεν ἄν.' Actionem protasis eiusdem temporis atque rem conclusam esse cognosci licet ex iis, quae sequuntur: 'νῦν δὲ οὐχ οἷός τε ὢν ταύτης ἰσχυροτέραν ἐπ' ἐκείναις ἐξευρεῖν, τὴν αὐτὴν καὶ ἐπὶ ταῖς παλλακαῖς ἠξίωσε γίνεσθαι.' Illa uero (εἶχε) durat uel potius status aliquis, neque uero proprie quae dicitur actio est, cum aoristus apodosis id solum significet, praeteriisse actionem. Item status quidam protasi continetur III 38: 'τί δ' ἄν ποτε ἔπαθον, εἰ τἀναντία τῶν νῦν γεγενημένων ἦν, εἰ πολλοὺς ἔχων τῶν ἐπιτηδείων ἐγώ, ἀπαντήσας Σίμωνι, ἐμαχόμην αὐτῷ καὶ ἔτυπτον αὐτὸν καὶ ἐδίωκον καὶ καταλαβὼν ἄγειν βίᾳ ἐζήτουν...' Idem ualet de altera protasi; posterior, quae epexegesin prioris efficit, alio spectat. Cf. I 42. VII 15. XIX 61. XXI 5. — Et praeteritum et praesens tempus comprehenditur protasi XXX 15: 'καὶ περὶ τούτων οὐδένα ἂν ἐποιησάμην λόγον, εἰ μὴ ᾐσθανόμην' sc. τότε, ὅτε ἐποιησάμην λόγον, καὶ νῦν, 'αὐτὸν ὡς δημοτικὸν ὄντα πειράσεσθαι παρὰ τὸ δίκαιον σῴζεσθαι, καὶ τῆς εὐνοίας τῆς εἰς τὸ πλῆθος τεκμηρίῳ χρησόμενον ὅτι ἔφυγεν.' — Aoristus exspectatur IV 16: 'ἔτι δὲ τοὺς μὲν τούτου οἰκέτας ἰδίους ὄντας τούτου εἰ ἐβασανίζομεν, εἰκότως ἄν τι τούτῳ χαριζόμενοι καὶ παρὰ τὴν ἀλήθειαν ἐμοῦ κατεψεύσαντο.' Difficultati medetur Frohbergerus[1]): 'Anderwärts erklärt sich das Imperfekt im Vordersatze leicht aus dem Zusammenhange als Tempus der Gleichzeitigkeit in der Vergangenheit wie Lys. VII 37: 'περὶ ἐμοῦ εἴ τι ἔλεγον οἱ θεράποντες (sc. ὅτε ἐβασανίζοντο), οὐδ' ἂν ἀπολογήσασθαί μοι ἐξεγένετο', und öfters bei Lysias und sonst.' Similiter Kuehnerus[2]), qui praeterea iure docet hoc: 'überall aber bezeichnet das Imperfekt die Handlung als eine in der Vergangenheit sich entwickelnde.' Itaque IV 16 uertendum est: 'wenn wir damals (als der Gegner das Anerbieten machte) auf dasselbe eingingen, nämlich seine eigenen Sklaven auf die Folter spannten'. Item res se habet III 38 membro posteriore (v. supra) XXVIII 4. Fr. 11.

Andocides ex exempla desunt.

Antiphon: V 93: 'εὖ δ' ἴστε ὅτι οὐκ ἄν ποτ' ἦλθον εἰς τὴν πόλιν, εἴ τι ξυνῄδη ἐμαυτῷ τοιοῦτον·' Nisi quis obiciat,

1) ad Lys. I 31. 2) gr. II p. 124.

hic quidem diiudicari non posse, cur imperfecto scriptor usus sit, cum aoristus uerbi *εἰδέναι* absit, uerbo huic uim durandi adhaerere existimem.

III. Silentio non praeteream complures locos, quorum apodosis in imperfecto collocata temporis praeteriti est, protasi in aoristo posita. Lys. XIX 34: '*εἴ τις ὑμῶν ἔτυχε δοὺς Τιμοθέῳ τῷ Κόνωνος τὴν θυγατέρα ἢ τὴν ἀδελφήν... καὶ ... ἐδημεύθη ἡ οὐσία καὶ μὴ ἐγένετο τῇ πόλει πραθέντων ἁπάντων τέτταρα τάλαντα ἀργυρίου, διὰ τοῦτο ἠξιοῦτε ἂν τοὺς ἀναγκαίους τοὺς ἐκείνου καὶ τοὺς προσήκοντας ἀπολέσαι...;*' Item durans res conclusa imperfecto significatur I 44: '*οὔτε γὰρ... συνῄδει κακὸν οὐδὲν ὃ ἐγὼ δεδιὼς μή τις πύθηται ἐπεθύμουν αὐτὸν ἀπολέσαι, οὔτε εἰ ταῦτα διεπραξάμην, ἤλπιζον χρήματα λήψεσθαι.*'[1]) — Eodem modo quo IV 16 (v. s. p. 253) imperfectum interpretari debemus XVII 4: '*καίτοι τοῦτό γε παντὶ εὔγνωστον, ὅτι οὐκ ἂν παραλιπόντες, εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν, πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπέγραφον [ἀπογράφοντες] καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι.*' Sic legit Scheibius ('Emendat. Lys. fasc.' p. 17); Franckeno (l. c. p. 122) displicebat haec coniectura, quia membra orationis mirifice turbata essent et particula *ἂν* ad participium tantum esset referenda; per se quidem participium cum *ἂν* offendere non potest: cf. similem periodum Isocratis Philippi §. 133: '*εὖ δ' ἴσθι μηδὲν ἄν με τούτων ἐπιχειρήσαντά σε πείθειν, εἰ δυναστείαν μόνον καὶ πλοῦτον ἑώρων ἐξ αὐτῶν γενησόμενον*' pro '*ὅτι οὐδὲν ἂν τούτων ἐπεχείρησά σε πείθειν.*' Soluamus uero quam supra adtulimus constructionem participialem: '*ὅτι οὐκ ἂν παρέλιπον, εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν, ἀλλὰ πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπέγραφον*' (uerbis '*ἀλλὰ* etc.' factum continetur); quod num uno enuntiato comprehendi possit, mihi ualde dubium est. Franckenus hanc argumentationem esse arbitratur: 'eo quod in indicem retulerunt etiam ea, quae ego dudum possederam, apparet omnia eos complexos esse'; uerba '*πάντα τὰ Ἐράτωνος*' omittit, quae in margine adscripta sint ad explicanda uerba superiora '*ὅτι δὲ πάντα δημεύεται*' et legit: '*... οὐκ ἂν παραλιπόντες εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τ' ἦν δημεύειν, ἀπέγραφον καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι*'

1) Coniecturam a Lipsio (quaest. Lys. 11) commendatam, quam recepit Franckenus (Comm. Lys. p. 31) eoque auctore Rauchensteinius et Frohbergerus: '*εἰ... διαπραξαίμην*' reicio assentiens Gerthio (l. c. p. 18) censenti, 'dafs der Redner... durch das Präteritum die Voraussetzung um so nachdrücklicher von sich abwehren wollte'.

('si omisissent aliud quid, quod ex bonis Eratonis proscribi posset, non sane retulissent in indicem, quae ego iam dudum possideo'.) Quae scriptura praeter Kayserum[1]) probatur mihi quoque et ideo, quod ab auctoritate Palatini[2]) minus discedit, praefertur emendationi haud ineptae Tiallingi Halbertsma (Lect. Lys. p. 38): '... ὅτι οὐκ ἂν παρέλιπον, εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν, οἵτινες πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπογράφοντες ἀπέγραφον καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι.' — Tota periodus ita dissoluenda est: 'καίτοι τοῦτό γε παντὶ εὔγνωστον, ὅτι οὐκ ἄν, εἰ παρέλιπον εἴ τι (idem atque ὅ,τι) ἄλλο . . . δημεύειν, ἀπέγραφον[3]) καὶ ἃ ἐγὼ πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι.'

And. I 114 accedit ad Lys. XVII 4. Status quidem imperfecto apodosis exprimitur I 20. II 12.

Ant. *Γβ* 2: 'τὸν γὰρ ἄρξαντα τῆς πληγῆς εἰ μὲν σιδήρῳ ἢ λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην αὐτόν, ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως.' ἀδικεῖν saepius apud Antiphontem statum eius, qui iniuriam fecit, significat[4]) ('im Unrecht, schuldig sein'). *Δγ* 5.

IV. Differentia, quam inter actionem imperfecti et aoristi intercedere multis locis trium oratorum comprobatum uidimus, non minus dilucide ex iis locis cognoscitur, quorum aut protasi aut apodosi et imperfectum et aoristus occurrunt:

1) εἰ c. ind. imp. et aor., apod. imp. Ant. V 38: 'καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τὸν ἄνδρα ἠφάνισα ἢ μὴ ἤθελον ἐκδοῦναι τούτοις ἢ ἄλλον τινὰ ἔφευγον ἔλεγχον, αὐτοῖς ἂν τούτοις ἰσχυροτάτοις εἰς τὰ πράγματα ἐχρῶντο καὶ ἦν ταῦτα αὐτοῖς μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ.' Actiones protasis omnes temporis praeteriti sunt, sed cum aoristo, 'ἠφάνισα' nihil aliud nisi res gesta significetur, imperfecto 'ἤθελον' uis durandi inest, 'ἔφευγον' imperfectum de conatu percipiendum est; imperfecta apodosis cum praeterito etiam tempus praesens loquentis complectuntur. — Aliter iudicandum est de loco simili VI 27: 'καὶ εἰ μὲν ἐγὼ τούτων προκαλουμένων μὴ ἐθέλησα τοὺς παραγενομένους ἀποφῆναι, ⟨ἢ⟩ θεράποντας ἐξαιτοῦσι μὴ ἤθελον ἐκδιδόναι, ἢ ἄλλην τινὰ πρόκλησιν ἔφευγον, αὐτὰ ἂν ταῦτα μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ ἐποιοῦντο ὅτι ἀληθὴς ἦν ἡ αἰτία.' De 'ἔφευγον' idem ualet quod V 38; quomodo autem differunt 'ἠθέλησα' et subinde 'ἤθε-

1) Heidelb. Jahrbb. 1866, 303. 2) Ibi legitur: '... ὅτι οὐκ ἂν παραλιπόντες εἴ τι ἄλλο τῶν Ἐράτωνος οἷόν τε ἦν δημεύειν τὴν πάντα τὰ Ἐράτωνος ἀπέγραφον καὶ λέγω πολὺν ἤδη χρόνον κέκτημαι.' 3) sc. ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ, ὅτε πάντα ἀπέγραφον, οὐδὲν παραλείποντες. 4) Cf. F. Ignatius: 'De Antiphontis Rhamnusii elocutione' p. 19.

λον'? diuersam uim eidem actioni imputare uereor; equidem puto, oratorem hic studio uariandi ductum fuisse. De apodosi cf. V 38. — Aoristus rem semel factam, imperfectum saepius repetitam significat And. I 20: 'καίτοι τί ἐβουλόμην, εἰ ἐμήνυσα μὲν κατὰ τοῦ πατρός, ὡς οὗτοί φασιν, ἱκέτευον δὲ τὸν πατέρα, μεῖναντά τι παθεῖν ὑπ' ἐμοῦ;' cf. P. Polack.[1])

2) εἰ c. ind. imp. et aor., apod. aor. Lys. XIII 53: 'καίτοι εἰ ἐκείνοις ἐπείθου καὶ ἠθέλησας ἐκπλεῦσαι μετ' ἐκείνων, οὔτ' ἂν ἑκὼν οὔτε ἄκων τοσούτους Ἀθηναίων ἀπέκτεινας.' Scriptura codicum 'ἐπείθου', quam Cobetus, Scheibius, Frohbergerus in 'ἐπίθου' mutauerunt, ferri potest, si ita uertimus: 'wenn du dir von jenen hättest zureden lassen und (Resultat) entschlossen gewesen wärest'. Item sentit Fuhrius.[2])

3) εἰ c. ind. aor., apod. imp. et aor. Lys. XII 98: εἰ δὲ ἐδυστυχήσατε καὶ τούτων ἡμάρτετε, αὐτοὶ μὲν ἂν δείσαντες ἐφεύγετε μὴ πάθητε τοιαῦτα οἷα καὶ πρότερον, καὶ οὔτ' ἂν ἱερὰ οὔτε βωμοὶ ὑμᾶς ἀδικουμένους διὰ τοὺς τούτων τρόπους ὠφέλησαν.' 'ἐφεύγετε' uertendum est: 'dann würdet ihr in die Verbannung gegangen sein und darin weiter leben'; aoristus 'ὠφέλησαν' hic quoque nihil aliud nisi actionem praeteriisse exprimit.

Ut eorum quae dixi summam faciam, satis multi apud Lysiam, Andocidem, Antiphontem loci exstant, ubi imperfectum notionem sui propriam etiam in periodis hypotheticis, quae uocantur, irrealibus retinet.

V. Saepe uero fit, ut imperfectum ad solum tempus praesens referri possit aut certum tempus omnino non respiciatur.

1) Apodosis tempore ac modo cum protasi congruit: Lys. III 2: 'εἰ μὲν οὖν ἄλλοι τινὲς ἔμελλον sc. νῦν περὶ ἐμοῦ διαγνώσεσθαι, σφόδρα ἂν ἐφοβούμην τὸν κίνδυνον, ὁρῶν ὅτι καὶ παρασκευαὶ καὶ τύχαι ἐνίοτε τοιαῦται γίγνονται, ὥστε πολλὰ καὶ παρὰ γνώμην ἀποβαίνειν τοῖς κινδυνεύουσιν.' Notio temporalis omnino abest Lys. XVIII 17: 'καὶ εἰ μὲν τῷ ὑμετέρῳ πλήθει συνέφερε τοὺς μὲν ἔχειν τὰ αὑτῶν, τῶν δὲ ἀδίκως δημεύεσθαι τὴν οὐσίαν, εἰκότως ἠμελεῖτε τῶν ὑφ' ἡμῶν λεγομένων· (νυνὶ δὲ πάντες ἂν ὁμολογήσαιτε ὁμόνοιαν μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι πόλει ...).' V 1. XIII 62. XVI 1. 11. XXI 17. XXII 17. XXIV 12. XXIX 1. XXXI 27. (II) 78. (VIII) VIII 9. Fr. 13. 88. And. I 24. II 1. III 16. (IV) 8. Ant. Γδ 2.

2) Apodosis indicatiuo aoristi formatur: Lys. XXXII 1: 'εἰ μὲν

1) l. c. p. 43. 2) 9. ed. Rauchenst.

μὴ μεγάλα ἦν, ὦ ἄνδρες δικασταί, τὰ διαφέροντα, οὐκ ἄν ποτε εἰς ὑμᾶς εἰσελθεῖν τούτους εἴασα . . .' Contrarium supplendum est: '*μεγάλα ἐστὶ τὰ διαφέροντα, δι' ὃ εἰς ὑμᾶς εἰσελθεῖν τούτους εἴασα . . .*' (II) 1.

3) Protasi in aoristo collocatae apodosis in imperfecto adnectitur: Lys. VII 22. 23. XVI 8. XXVII 15. (XIV) 21. And. III 2: '*εἰ μὲν οὖν μηδεπώποτε πρότερον ὁ δῆμος ὁ [τῶν] Ἀθηναίων εἰρήνην ἐποιήσατο πρὸς Λακεδαιμονίους, εἰκότως ἂν ἐφοβούμεθα* sc. *νῦν αὐτὸ διά τε τὴν ἀπειρίαν τοῦ ἔργου διά τε τὴν ἐκείνων ἀπιστίαν.*' Ant. I 12. VI 48. *Β β* 4. *Γ α* 6.

4) Protasis diuersis temporibus adhibitis conspicua est And. I 119: '*καὶ γὰρ εἰ ἔζη Ἐπίλυκος ἢ τεθνεὼς πολλὰ κατέλιπε χρήματα, ἠξιοῦμεν ἂν γένει ὄντες ἐγγυτάτω ἔχειν τὰς παῖδας.*' Imperfecta ad praesens tempus pertinent, aoristus ad praeteritum referri debet. Omnibus quidem huiusmodi locis saltem proprietas actionis in imperfecto positae seruatur uelut Lys. XVI 11: '*καίτοι δῆλον ὅτι, εἰ τῶν αὐτῶν ἐπεθυμοῦμεν, οὐκ ἂν τοιαύτην γνώμην εἶχον περὶ ἐμοῦ.*' Recte uertit Carolus Mueller: 'si ego et illi iisdem cupiditatibus teneremur, longe aliter in me essent animati.' — Admodum uero dubium uidetur mihi esse, num etiam locis sequentibus actiones imperfecto prolatae durantes etc. accipi possint:

1) in protasi et apodosi: (Lys.) XI 5: '*ὁμοίως δ' ἂν καὶ τῶν ἕνδεκα γενόμενος οὐκ ἂν ἀπεδέχου τὸν ἀπαγόμενον, ὅτι θοἰμάτιον ἔξω θέμενος ἢ τὸν χιτωνίσκον, εἰ μὴ λωποδύτην ὠνόμαζεν.*' (XI) 6. Ant. V 74. 84. VI 28 (2).

2) in protasi: Lys. XXX 8: '*δεινὸν δέ μοι δοκεῖ εἶναι ὅτι, εἰ μὲν περὶ ἰδίων συμβολαίων ἀγωνιζόμενος οὕτω φανερῶς ἐξήλεγχον αὐτὸν ἀδικοῦντα, οὐδ' ἂν αὐτὸς ἠξίωσε τοιαῦτα ἀπολογούμενος ἀποφεύγειν . . .*' Ant. VI 29.

3) in apodosi: Lys. XII 29: '*εἰ μὲν γάρ τις ἦν ἐν τῇ πόλει ἀρχὴ ἰσχυροτέρα αὐτῆς, . . . ἴσως ἂν εἰκότως αὐτῷ συγγνώμην εἴχετε·*' XII 47. XVIII 20. XXV 5. XXXI 26. Ant. I 11. His quidem locis imperfecto nulla alia uis inhaeret nisi ea, ut exprimat res positas et conclusas uero rerum statui non respondere. Ceterum huiusmodi exempla rara sunt apud Lysiam et Antiphontem, apud Andocidem omnino desiderantur.

VI. Iure quaesiuerit quis, qualis tandem differentia sit inter imperfectum et aoristum, quoniam ratio temporis et actionis imperfecti propriae euanuit. Responsum sufficiens longius repetere coactus sum.

Sicuti imperfectum ita aoristus quoque in enuntiatis res ueritati aduersas continentibus primo de actionibus praeteritis usurpabatur, iis uero, quae non per aliquod temporis spatium durant, sed uno momento fiunt, quae non repetuntur, sed semel fiunt, quae non in statu quodam sunt, sed incipiunt; saepe aoristus id solum spectat, gestam esse actionem. — Haec uis aoristicae actionis quadrat in maximam partem locorum Lysiae, Andocidis, Antiphontis.

Exemplis iam in imperfecto tractando commemoratis accedunt ea, quorum protasis et apodosis aoristi indicatiuo formantur: Lys. XIII 16: '*ἐνόμιζον δὲ δυνήσεσθαι, καὶ ἔπραξαν ἂν ταῦτα, εἰ μὴ ὑπ' Ἀγοράτου τουτουῒ ἀπώλοντο.*' Aoristis deest durandi notio, adest praecedenti '*ἐνόμιζον*' ('sie waren der Überzeugung') VII 17. X 2. XII 34. XIII 51. XIX 51. XXV 30. XXVI 18. XXX 20. XXXI 28. (XIV) 16. And. I 102. III 19. (IV) 26. Ant. V 56. *Δα* 9.

Neque uero absunt loci, ubi actio aoristo significata praeterita intellegi nequit. Non ualet hoc in iis exemplis, ubi et protasis et apodosis in aoristo collocatae sunt; ubi protasis aoristi, apodosis imperfecti est, temporalem aoristi uim abolitam esse quisquam iudicauerit: (Lys.) XIV 21: '... *ὑμᾶς δὲ χρὴ ὑπολαμβάνειν πρῶτον μὲν ὅτι, εἰ πάντες Ἀλκιβιάδῃ ὅμοιοι ἐγένοντο, οὐδὲν ἂν ἔδει τοῦ στρατηγεῖν*' ('si omnes Alcibiadi similes essent (non 'fuissent'), nihil opus esset militiae ducibus'); neque uero minus quam in aoristo *ἔφυν* Soph. Ant. 905. Eur. Phoen. 500[1]), quem nos in enuntiato huius classis praesenti parem habere solemus, Graeci temporis praeteriti uim intellegebant in '*ἐγένοντο*'. — Imperfecto autem protasis antecedente aoristus apodosis aliquoties ad res praeteritas referri non potest: Lys. XXX 8: u. p. 257. Actio protasis non aliquod factum temporis praeteriti spectat, orator potius fingit aliquid fieri, quod omni tempore accidere potuit; itaque etiam res conclusa tempori praeterito attribui nequit. (II) 1: '*εἰ μὲν ἡγούμην οἷόν τε εἶναι, ὦ παρόντες ἐπὶ τῷδε τῷ τάφῳ, λόγῳ δηλῶσαι τὴν τῶν ἐνθάδε κειμένων ἀρετήν, ἐμεμψάμην ἂν τοῖς ἐπαγγείλασιν ἐπ' αὐτοῖς ἐξ ὀλίγων ἡμερῶν λέγειν·*' hic saltem proprietatis utriusque actionis ratio habetur, nam imperfecto status, aoristo actio per se ipsa exprimitur. Quae differentia euanuit XXX 8, praeterea (XX) 19; hic quidem aoristus et imperfectum promiscue adhibentur. Non praetermittam, huiusmodi exempla nondum reperiri apud Andocidem, nondum apud Antiphontem.

VII. Haec quidem de imperfecto et aoristo; interdum in enun—

1) Cf. A. Winter. l. c. p. 15.

tiatis, quae tracto, plusquamperfectum occurrit, de quo Kuehnerus[1]) docet: ‘Da das griechische Plusquamperfekt nicht wie das deutsche oder lateinische Plusquamperfekt schlechtweg eine Vergangenheit ausdrückt, sondern die in ihrem Vollendetsein fortbestehende Handlung bezeichnet, so wird es in gleicher Weise gebraucht wie das statt des Plusquamperfekts stehende Imperfekt ...’

1) In protasi exstat plusquamperfectum: Lys. I 45: ‘*τί ἂν οὖν βουλόμενος ἐγὼ τοιοῦτον κίνδυνον ἐκινδύνευον, εἰ μὴ τὸ μέγιστον τῶν ἀδικημάτων ἦν ὑπ’ αὐτοῦ ἠδικημένος;*’ sententia fictioni contraria haec est: ‘*ἐγὼ τοιοῦτον κίνδυνον κινδυνεύω, ἐπειδὴ τὸ μέγιστον τῶν ἀδικημάτων εἰμὶ ὑπ’ αὐτοῦ ἠδικημένος.*’ Fictio temporis praesentis est etiam XXIV 11: ‘*εἰ γὰρ ἐκεκτήμην οὐσίαν, ἐπ’ ἀστράβης ἂν ὠχούμην, ἀλλ’ οὐκ ἐπὶ τοὺς ἀλλοτρίους ἵππους ἀνέβαινον·*’ ‘nam si opes partas nunc haberem’ cf. id, quod orator adiungit: ‘*νυνὶ δ’ ἐπειδὴ τοιοῦτον οὐ δύναμαι κτήσασθαι, τοῖς ἀλλοτρίοις ἵπποις ἀναγκάζομαι χρῆσθαι πολλάκις.*’ XIII 85. Ant. VI 10. — Ceterum imperfectum apodosis in iis habendum est, quae spectant tempus loquentis (cf. Lys. III 2. V 1 etc. p. 256). Aoristus in apodosi cernitur Ant. V 13: ‘*λέγεις δὲ ὡς οὐκ ἂν παρέμεινα εἰ ἐλελύμην, ἀλλ’ ᾠχόμην ἂν ἀπιών.*’ Aoristo actio per se ipsa, plusquamperfecto status significatur: ‘wäre ich nicht gefesselt gewesen’; ‘*ἐλύθην*’ ualeret: ‘wäre ich nicht gefesselt worden’. Eo, quod fictio ad tempus praeteritum pertinet, locus hic similis est Lys. I 31 (u. p. 253) etc.

2) In apodosi exstat plusquamperfectum: And. I 92: ‘*εἰ γὰρ ἦλθεν, ἐδέδετ’ ἂν ἐν τῷ ξύλῳ*’ (cf. Lys. XIX 34 etc. p. 254). Ant. *Γβ* 3: ‘*εἰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν πληγῶν ὁ ἀνὴρ παραχρῆμα ἀπέθανεν, ὑπ’ ἐμοῦ μὲν δικαίως δ’ ἂν ἐτεθνήκει ...*’ (cf. Lys. VII 22 etc. p. 257). Incerta est scriptura Lys. XXV 15: ‘*ἐγὼ γὰρ τοιοῦτον ἐμαυτὸν ἐν ταῖς τῆς πόλεως συμφοραῖς παρέσχον ὥστε, εἰ πάντες τὴν αὐτὴν γνώμην ἔσχον ἐμοί, μηδένα ἂν ὑμῶν μηδεμιᾷ κεχρῆσθαι συμφορᾷ.*’[2])

3) Plusquamperfectum una cum imperfecto in protasi occurrit: Lys. XIII 26: ‘*... εἰ μή τί σοι ἦν παρεσκευασμένον καὶ ἐπίστευες μηδὲν κακὸν πείσεσθαι, πῶς οὐκ ἂν ᾤχου καὶ πλοίων παρεσκευασμένων καὶ τῶν ἐγγυητῶν ἑτοίμων ὄντων σοι συνεκπλεῖν;*’

1) gr. II p. 130. 2) Reiskio auctore editores discesserunt a librorum auctoritate *χρῆσθαι* praebentium; equidem infinitiuum praesentis pro ind. imp. haberi posse censeo, quoniam saepe apud oratores imperfectum de rebus praeteritis adhiberi uidimus; accedit hic locus ad XIX 34 etc. (p. 254).

('wäre nicht etwas von dir abgemachte Sache gewesen und hättest du nicht auf Straflosigkeit gerechnet'). Ab hoc XXVI 10 eo tantum differt, quod fictio temporis praesentis est. — Ant. V 52: '*καίτοι τὸ παράπαν ἔγωγ' ἂν εἴ τι συνῄδη ἐμαυτῷ καὶ εἴ τί μοι τοιοῦτον εἴργαστο, ἠφάνισ' ἂν τὼ ἀνθρώπω ...*' ('hätte mir das Bewufstsein irgend eines Vergehens angehaftet und wäre ich der Thäter eines solchen Verbrechens gewesen').

4) Protasis in aoristo, apodosis in imperfecto et plusquamperfecto collocatae exemplum praebet (And.) IV 41: '*καίτοι εἰ τῶν πρεσβευόντων ἕκαστος τὰ αὐτὰ ἐποίησεν, ὀλίγους ἂν πολεμίους εἴχετε καὶ πολλοὺς συμμάχους ἐκέκτησθε.*' Verbis '*ἐκέκτησθε*' atque '*εἴχετε*' notio possidendi inest, praeterea illi uis comparandi.

§. 8. De particula ἂν apodosis aut addita aut omissa.

Occupatus eruenda diuersa imperfecti (plusquamperfecti) et aoristi ui in uariis enuntiatorum, quae uocantur, irrealium generibus adhuc nullam rationem habui, apodosis utrum consociaretur cum particula *ἂν* necne. Qua uocula uerbo apodosis addita euentus rei conclusae non certus significatur atque indubius, sed coniectura collectus, quae locum habere solet, cum de eo, quod, si non impleta condicio ad effectum esset perducta, accidisset, plerumque aliquid certi scire non possimus. — Neque uero desunt exempla ubi particula *ἂν* in apodosi desideratur: Lys. VII 12: '*νῦν δὲ πάντας ἂν ὑμᾶς βουλοίμην περὶ ἐμοῦ ταύτην τὴν γνώμην ἔχειν, ἵνα ἡγῆσθέ με σκοπεῖν, εἴπερ τοιούτοις ἔργοις ἐπεχείρουν, καὶ ὅ,τι κέρδος ἐγίνετο τῷ ἀφανίσαντι καὶ ἥτις ζημία τῷ ποιήσαντι ...*' Orator cupit, iudices ipsum tunc quidem — antea aegre ferebat — pro uiro acri et diligenti et nihil unquam temere atque inconsulte agente habere, ut credant, semet ipsum, si facinus tale commisisset, perpensurum fuisse, et quid lucri et quid damni sibi truncum oleae exscindenti instaret; utique hoc se perpensurum fuisse exprimit omissa post '*σκοπεῖν*' uocula *ἄν*. XVIII 17: u. s. p. 256.[1])

Exemplis imperfecto et protasis et apodosis formatis nulla respondent aoristi in utroque membro adhibiti, quo confirmatur id, quod statuit Goelkelius (l. c. p. 13), ellipsin uoculae *ἂν* in aoristo

1) Reiskius *ἂν* post '*εἰκότως*' inseruit, iure, si '*εἰκότως*' uim haberet uernaculae 'mutmafslich, wahrscheinlich'; tum enim orator hac ipsa uoce ostenderet, euentum apodosis se tantum coniecisse; *ἂν* uero non opus est, si *εἰκ.* ualet idem, quod 'iure, merito', quae notio sola huc quadrat.

rarissime animaduerti. Contra occurrunt loci Andocidei et Antiphontei, ubi aoristum protasis apodosis imperfectum sequitur. Ant. Γβ 2: 'τὸν γὰρ ἄρξαντα τῆς πληγῆς, εἰ μὲν σιδήρῳ ἢ λίθῳ ἢ ξύλῳ ἠμυνάμην αὐτόν, ἠδίκουν μὲν οὐδ' οὕτως.' Orator innocentiam suam firme profiteri studens ἂν omisit. And. I 114. — Rei conclusae euentus non conicitur tantum, sed scitur, ob eamque rem ἂν superuacaneum est, si illa efficitur notione necessitatis, officii, libertatis, copiae, uoluntatis etc.: χρῆν, ἔδει, προσῆκε, καιρὸς ἦν, εἰκὸς ἦν, καλόν, δίκαιον, αἰσχρὸν ἦν, καλῶς εἶχε, ἐξῆν, ὑπῆρχε, ἦν, ἔμελλον, ἐβουλόμην, ἤθελον etc. cf. Kuehner.[1]) Lys. VII 24: 'ἐπίστασθε γὰρ ἐν τῷ πεδίῳ πολλὰς μορίας οὔσας καὶ πυρκαϊὰς ἐν τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐμοῖς χωρίοις, ἅς, εἴπερ ἐπεθύμουν, πολὺ ἦν ἀσφαλέστερον καὶ ἀφανίσαι καὶ ἐκκόψαι καὶ ἐπεργάσασθαι, ὅσῳπερ ἧττον τὸ ἀδίκημα πολλῶν οὐσῶν ἔμελλε δῆλον ἔσεσθαι.' Loquens oleas et truncos olearum auferre non cupiuit, id quod docent uerba sequentia: 'νῦν δ' οὕτως αὐτὰς περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι' etc. Sed siue illis parcere uoluit siue noluit, omni modo tutius erat illas exscindere, quae in campo et in aliis fundis suis erant, quanto minus propter olearum multitudinem delictum manifestum futurum erat. Ἂν uero non superuacaneum esset, si contrarium cogitari deberet 'οὐκ ἦν ἀσφαλέστερον' etc., si conclusa notio necessitatis etc. ipsa coniectura tantum constaret. In apodosi exstat ἐχρῆν (χρῆν): Lys. III 22. XII 32. XII 48: 'καίτοι εἴπερ ἦν ἀνὴρ ἀγαθός, ἐχρῆν[2]) αὐτὸν πρῶτον μὲν μὴ παρανόμως ἄρχειν, ἔπειτα τῇ βουλῇ μηνυτὴν γίγνεσθαι.' XXII 12. And. I 114.

ἔδει: Lys. XIII 72. And. III 16.
ἀνάγκη ἦν: And. II 7.
εἰκὸς ἦν: Lys. XXIII 25. Ant. V 27.
συνέφερε: Lys. XIII 28.
ἄξιον sc. ἦν: (Lys.) II 78.
κρεῖττον ἦν: Lys. I 40.
ἴσον ἦν: Ant. V 13.

1) gr. II p. 176. 2) Traditum ἂν cum Bekkero, Frohbergero, Cobeto, Gebauero, Fuhrio remouendum puto, cum sententia uera supplenda sit: 'ἀλλ' ἦρχε παρανόμως', non 'ἀλλ' οὐκ ἐχρῆν αὐτὸν παρανόμως ἄρχειν'. Akenus l. c. p. 59 ἂν ita defendere studet: 'Die Notwendigkeit ist hier eine logische; für den Begriff des ἀγαθὸς wäre es nötig gewesen, daſs etc. War er nicht ἀγαθός, so fällt diese Notwendigkeit weg.' Sed XII 32 eadem interpretatione utens ἂν desideres, tamen in libris non reperitur, quia contrarium non est 'οὐκ ἐχρῆν'.

θαυμαστὸν sc. *ἦν*: Lys. III 24. VII 7.
ἱκανὸν ἦν: Lys. III 33.
ἱκανὰ ἦν: Ant. VI 46. 48.
κίνδυνος ἦν: And. II 12.
οἷόν τε ἦν: And. I 20.
ἐξῆν: Lys. XXXII 23. Ant. VI 9.
ἔμελλον: Ant. *Δγ* 5.

Restat Ant. *Ββ* 4: '*εἰ μὲν γὰρ τὸ ἀκόντιον ἔξω τῶν ὅρων τῆς αὑτοῦ πορείας ἐπὶ τὸν παῖδα ἐξενεχθὲν ἔτρωσεν αὐτόν, οὐδεὶς ἡμῖν λόγος ὑπελείπετο μὴ φονεῦσιν εἶναι·*' Particula *ἂν* a Blassio perperam addita esse uidetur mihi cum Goelkelio (l. c. p. 12) et Gebauero (ed. Frohb. p. 413 sq.), qui demonstrat uerba '*οὐδεὶς ἡμῖν λόγος ὑπελείπετο μὴ φονεῦσιν εἶναι*' nihil aliud ualere nisi '*οὐκ ἐξῆν ἡμῖν ἀντειπεῖν* ...'. Idem Lys. XIII 90: '*εἰ μὲν οὗτος μὲν ἐν ἄστει, ἡμεῖς δ' ἐν Πειραιεῖ ἦμεν, εἶχόν τινα λόγον αὐτῷ αἱ συνθῆκαι·*' uoculam *ἂν* remouet, quam Baiterus inseruit, cum apodosis eandem uim habeat atque '*ἐξῆν αὐτῷ ἰσχυρίζεσθαι ταῖς συνθήκαις*'. Hic uero cum Frohbergero, Fuhrio particulam post *εἶχον*, ubi facile excidere potuit, inseram, cum sequentibus '*νῦν δὲ καὶ οὗτος ἐν Πειραιεῖ ἦν καὶ ἐγὼ καὶ Διονύσιος καὶ οὗτοι ἅπαντες οἱ τοῦτον τιμωρούμενοι, ὥστε οὐκ εἰσιν ἡμῖν ἐμποδὼν* sc. *αἱ συνθῆκαι*' contineatur '*οὐκ ἔχουσι λόγον αὐτῷ αἱ συνθῆκαι*' cf. III 31. Similiter XXXIII 4.

§. 9. **Enuntiata huius classis concessiua.**

1) *εἰ καί.*[1])

Lys. XXXI 20: '*τοιαῦτα γάρ ἐστιν, ὥστ' εἰ καὶ μηδὲν αὐτῷ ἄλλο ἡμάρτητο, διὰ μόνα ταῦτα δίκαιον εἶναι ἀποδοκιμασθῆναι.*' Philonem reum re uera alia quoque maleficia in se admisisse ex antecedentibus discimus; sententiae inter se oppositae haec sunt: exspectauerit quis, impietatem Philonis erga propinquos non sufficere ad reprobandum eum; sufficere uero orator in apodosi profitetur. Ant. V 27: '*εἰ δὲ*[2]) *καὶ ὡς μάλιστα ἐξέβην ἐκ τοῦ πλοίου, οὐδενὶ τρόπῳ εἰκὸς ἦν ἀφανισθέντα λαθεῖν τὸν ἄνθρωπον, εἴπερ γε μὴ πάνυ πόρρω ἀπῆλθεν ἀπὸ τῆς θα-*

1) Inde quod reperiuntur omnino eiusmodi exempla in sententiis a uero alienis, argumentum petas, minus recte Hermannum censere, *εἰ καὶ* de iis tantum rebus usurpari, quas ueras esse iudicemus.
2) Vocula *δὲ* inter *εἰ* et *καὶ* offendere non potest respicientem (Lys.) XX 8 (u. p. 243).

κόσης.' Reus, si naui egressus erat — id quod ille negat — ɩistimari poterat scire, ubi Herodes, quem in terra occisum esse luersarii dicebant, reperiendus esset, nisi longius ille a mari rocessit. V 62.

2) *καὶ εἰ, οὐδ' εἰ.*

Lys. XXVI 11: '*καὶ μὲν δὴ βουλεύειν γε δοκιμασθεὶς πεντκοσιοστὸς ὢν μετὰ τῶν ἄλλων ἐνιαυτὸν ἂν μόνον ἐβούλευσεν, στε καὶ εἴ τι ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἐξαμαρτάνειν ἐβούλετο, ῥᾳδίως ν ὑπὸ τῶν ἄλλων ἐκωλύετο.*' Etiam tum, si Euander ex proɩtione in ordinem senatorium cooptatus atque cum ceteris per num annum consedens illo tempore aliquid mali committere in ɩimo haberet, tamen committere non posset, sed facile a ceteris npediretur. —

Conspectus.

Apodosis.	Imperf. cum ἄν.	Imperf. sine ἄν.	Aor. cum ἄν.	Aor. s. ἄν.	Plusquamp. cum ἄν.	Plusqu. s. ἄν.
εἰ cum indicat. imperfecti.	Lys. I 38. III 2. 31. V 1. VII 16. 36. X 2. XII 29. 47. XIII 26. 36. 62. 90. XVI 1. 11. XVIII 20. XXI 17. XXII 17. XXIV 12. XXV 5. 19. XXVI 11 XXIX 1. XXX 17. XXXI 27. XXXIII 4. Fr. 13. 88. (VIII) 9. (XI) 5. 6. (XV) 2. (XX) 16. 27. And. I 24. 119. II 1. — (IV) 8. Ant. V 32. 38. 74. 84. VI 27. 28 (2). 29. Αβ 13. Γδ 2.	Lys. I 46. III 22. VII 7. 12. 24. XII 32. 48. 52. XIII 28. XVIII 17. XXII 12. XXIII 15. XXXII 23. — (II) 78. And. I 114. II 7. III 16. Ant. V 13. VI 9. 46.	Lys. I 31. 42. III 38. IV 16. VII 15. XIII 22. 53. XIX 61. XXI 5. XXVIII 4. XXX 8. 15. XXXII 1. — (II) 1. (XX) 19. — Fr. 11. Ant. V 52. 62. 69. 93. Αβ 13.	—	—	—
εἰ cum indicat. aoristi.	Lys. VII 22. 23. XII 98. XVI 8. XVII 4. XIX 34. XXV 15. XXVII 15. XXXI 26. — (XIV) 21. And. I 119. III 2. — (IV) 41. Ant. I 11. 12. V 38. VI 27 29. Γα 6. γ 5.	Lys. XIII 72. And. I 20. 114. II 12. Ant. V 27 (2). VI 48. Αγ 5. Ββ 4. Γβ 2.	Lys. VII 17. X 2. XII 34. 98. XIII 16. 51. 53. 75. XIX 51. XXV 30. XXVI 18. XXX 20. XXXI 28. — (XIV) 16. And. I 102. III 19. — (IV) 26. Ant. V 56. 69. Αα 9.	—	And. I 92. — (IV 41. Ant. Γβ 3.	—
εἰ cum indic. plusquamp.	Lys. I 45. XIII 26. XXIV 11. Ant. VI 10.	Lys. XXXI 20.	Ant. V 13. 52.	—	—	—

Lysias utitur	εἰ	cum	indic.	imperf.:	52 (61)[1]	locis
„	„	„	„	aor.:	23 (25)	„
„	„	„	„	plusqu.:	4 (4)	„
Andocides utitur	εἰ	cum	indic.	imperf.:	6 (7)	locis
„	„	„	„	aor.:	8 (11)	„
„	„	„	„	plusqu.:	— —	„
Antiphon utitur	εἰ	cum	indic.	imperf.:	15	locis
„	„	„	„	aor.:	10	„
„	„	„	„	plusqu.:	3	„
Tetralogiae praebent	εἰ	cum	indic.	imperf.:	3	locis
„	„	„	„	aor.:	7	„
„	„	„	„	plusqu.:	—	„

Itaque Lysiae et Antiphontis I., V., VI. orationibus, ubi imperfectum protasis multo saepius adhibitum cernitur quam aoristus, opponuntur Andocideae et tetralogiae, in quibus ratio permutata est; ceterum iam e conspectu, quem ad primam classem enuntiatorum condicionalium dedi, apparuit, in tetralogiis longe praeualere exempla aoristi in protasi usurpati; ibi imperfectum aoristo inferius erat, hic superius est in Antiphontis I., V., VI. orationibus. Lysias sibi constat in imperfecto ut ibi sic hic multo frequentius, Andocides in utroque tempore eadem fere frequentia adhibito. Plusquamperfectum protasis reperitur neque apud Andocidem neque in tetralogiis, quae hac re rursus consentiunt aduersus Lysiam et Antiphontis orationes non addubitatas. — De temporibus ac modis, quibus apodoses formantur, ut pauca dicam, apud Lysiam protasin in imperfecto collocatam sequitur 39× idem tempus, 13× aoristus in apodosi; imperfectum numero exemplorum praeualet, etiam demptis iis locis, ubi aoristus omnino deest (ἐξῆν, ἐχρῆν etc.); item e protasi aoristica saepius aoristus suspensus est, 13 × enim, imperfectum 10 × uel rectius 8 ×. — Andocides congruentiam temporum protasis et apodosis seruat tum, cum imperfectum in protasi exstat: nullum enim exemplum sequentis aoristi repperi; ex aoristica uero protasi aoristus tantum 2×, imperfectum 5× aptum est; ceterum 3× aoristus formari non poterat. — Antiphon imperfecto protasis 11× idem tempus, 4× aoristum in apodosi adiungit; etiam hic congruentiam minus respicit utens εἰ c. ind. aor.: aoristus sequitur 2×, imperfectum 7× uel rectius 4× in locum eius succedit. Similiter res se habet in tetralogiis: imperfectum protasis 2× imperfectum, 1× aoristus, aoristum

1) Adiunctis exemplis orationum spuriarum.

protasis 5× uel 4× imperfectum, 1× aoristus in apodosi sequitur. — De ἄν addito aut omisso doceat haec tabula:

	εἰ c. imp.		εἰ c. aor.		εἰ c. plusqu.	
	ἄν add.	ἄν om.	ἄν add.	ἄν om.	ἄν add.	ἄν om.
Lys.	39	13	22	1	3	1
(Lys.)	8	1	2	—	—	—
And.	3	3	5	3	—	—
(And.)	1	—	3	—	—	—
Ant.	12	3	7	3	3	—
Tetr.	3	—	4	3	—	—

Silentio non praeteream, uoculam εἴπερ semper fere ibi exstare, ubi ἄν abest: orator apodosin firme statuens condicionis quoque uim auget. — Ordinem praepositiuum hic etiam praeualere cernas:

Lysias.		Andocides.		Antiphon.	
Prot. praes.	Pr. non pr.	Prot. pr.	Pr. non pr.	Prot. pr.	Pr. non pr.
61 (70)[1]	18 (20)	10 (13)	5 (6)	32	7

1) Additis locis orationum spuriarum.